# CONSTITVTIONES
## EDITAE, PER REVERENDISS.

IN CHRISTO PATREM D. IO. MATTHÆVM GIBERTVM EPISCOPVM VERONEN. AC IN CIVITATE ET DIOC. VERONEN. LEGATVM APOSTOLICVM, EX SANCTORVM PATRVM DICTIS ET CANONICIS INSTITVTIS AC VARIIS NEGOCIIS QVOTIDIE OCCVRRENTIBVS ET LONGO RERVM VSV COLLECTAE ET IN VNVM REDACTAE.

R. BIBLIOTECA DI CREMONA




VERONAE,

APVD ANTONIVM PVTELLETVM. M D XLII.

Digitized by Google

15.2.11




Digitized by Google

IOANNES MATTHÆVS GIBERTVS DEI ET APOſtolicæ Sedis gratia Veronenſis Eccleſiæ licet indignus Eps,& Comes in ciuitateq;,& Dioceſi Veronenſi Sanctiſſimi Domini noſtri pp.& eiuſdem Apoſtolicæ Sedis legatus,ac ſuper exemptos Iudex & Commiſſarius. Vniuerſis & ſingulis chriſti fidelibus, & præſertim Ciuitatis & Diœceſis prædictarum,præſentes literas noſtras lecturis & audituris,in Deo,& Domino noſtro Ieſu Chriſto ſalutem, & pacem in ſecula.

POſtquam Altiſſimo placuit,ut is locus gubernaculorum nobis traditus ſit,qui Remum tenere nõ noueramus omnes noſtras præces atq; orationes eidem,a quo ſancta deſideria,recta conſilia,& iuſta ſunt opera,effudimus,ut ille Dux,& præceptor noſter,quãdo res ſua agitur, gubernandi modum oſtendere nobis dignaretur,Atq; Domino concedente,& orationibus fratrum,& filiorum noſtrorum coadiuuantibus, eam mentem,eumq; animum aſſecutos nos eſſe arbitramur,ut commiſſo nobis Gregi prodeſſe non præeſſe uoluerimus,Oues, ſanguis quarũ e,manibus noſtris requiritur,ea charitate,quã Dominus elargiri dignatus eſt,cuſtodiendo,& opportune curãdo,Vagas attrahẽdo,Morbidas ſuſtinendo,lentas urgẽdo,uarioſq; abuſus,quos in animarum pernitiẽ, & chriſtiani cultus diminutionem,antea inoleuiſſe inueneramus,in dies tollendo,Qua in re experientia docti ſumus,quam uere dicebat beatus Auguſtinus,quemadmodum nihil eſt in hac uita,& maxime hoc tẽpore,facilius,leuius,& hominibus acceptabilius Epiſcopi aut presbiteri,aut Diaconi officio,ſi perfunctorie atq; adulatorie res agatur.Sed nihil apud deum miſerabilius,triſtius,& damnabilius,ita,e,conuerſo, nihil eſſe in hac uita,& maxime,hoc tempore difficilius,laborioſius, periculoſius Epiſcopi,aut presbiteri,aut Diaconi officio.Sed apud Deum nihil beatius,ſi eo modo,quo Imperator noſter præcipit militetur.Quod ſi in eius ætate,feruenti adhuc martirum ſanguine, & primitiuæ illi immaculatæ & ſine Ruga Eccleſiæ,tam propinqua tot ſanctorum uirorũ exempla in omni uirtutum genere tanq̃ clariſſima ſpecula cernebãtur. Vera hæc fuiſſe,ex ſcriptis doctoris ſancti depræhendimus. Quid nos, qui ab illa ueteri diſciplina remotiores ſumus,& in quos iam fines ſæculorum deuenerunt,promittere nobis debemus? Et cũ Dei gratia,& benignitate opera noſtra,pœnitus irrita non fuerit, cum iam nunc ſuper his,quæ ad chriſtianam religionem ſpectant,mores non modicum immutatos conſpiciamus,ſperemus q̃ in dies magis profecturos,uolentes, ut cunq; poterimus,prouidere,ne iacta ſemina temporis interuallo, aut alias neglecta quaſi marceſcant,ſed potius prompta & quodammodo neceſſaria,reminiſcendi data occaſione,fructus ſuos in annos adaugeãt, ea etiam ratione ducti, quod,indecens uidebatur,ut Eccleſia noſtra Veronenſis,prout plereque aliæ Italiæ cathedrales Eccleſiæ,inter quas ipſa



Digitized by Google

nequaq̃ minima eſt, Conſtitutiones, quæ ſynodales ſolent nuncupari, non haberet, conſtitutiones præſentes tam ex ſacra pagina, & canonicis inſtitutis q̃ multiplicitate negociorum & magiſtra rerum experiẽtia collectas, etiam in euidens atq; perpetuum animi noſtri teſtimonium imprimendas, eaſq; ſub certis titulis digeſtas, prout uiſum eſt commodius, & quo facilius unuſquiſq;, quod ad ſe ſpectauerit, inuenire, & ſimul poſitum quaſi uno aſpectu dignoſcere poſſit, in hoc uolumen, quanta cum breuitate fieri potuit, redigendas curauimus. Et quidem prius. S. D. N. D. Paulo Diuina prouidentia Papæ tertio oblatas, & per beatitudinem ſuam, poſtq̃ per Reuerendum fratrem Thomam Badia ordinis prædicatorum Magiſtrum ſacri palatii bene inſpici, & examinari fecit, Apoſtolica authoritate approbatas, ut copioſius conſtare poterit ex ipſarum literarum Apoſtolicarum tenore quas cum nonnullis paucis magis opportunis quã omnes ſint admodum multæ, & pleræ quæ ipſarum ualde prolixæ, & iam in Ciuitate & Dioceſi Veronenſi ſolẽni publicatione palam propoſitæ & manifeſtæ, ſufficere putantes elegimus, & in prædictarum conſtitutionum fronte inſeruimus. Hortamur itaq; in Domino, & tam ordinaria, quam Apoſtolica, uigore dictarum diuerſarum tam Fe. Re. Clementis Papæ. vii. quã prælibati Domini noſtri Pauli literarum nobis conceſſa authoritate præcipimus, & mandamus, conſtitutiones ipſas ab omnibus & ſingulis chriſti fidelibus in Ciuitate, & Dioceſi prædictis præſentibus, & futuris inuiolabiliter obſeruari debere. Quas, Nos animas potius, quam linguas eruditas facere, & eas Domino lucrari cupientes, eo modo compoſuimus, ut paſtorali paternaq; charitate familiares chriſtianæ, eccleſiaſticæq; uitæ inſtitutiones, domeſticaſq; admonitiones, aliqua fortaſſe prolixius, & aliter, quam per ſanctionis, & legis modum poſita, recenſendo, nonnulla etiã non tanq̃ noua, ſed iam tacta per canones, & doctores propter illos, quibus librorum ſuppellectilis copia non adeſſet, quaſi recitando creditis nobis filiolis traderemus, Quos omnes labores libenter admodum hauſtos ſpes mollit & temperat, quam auſpice Deo concepimus, neminem fore quem pigeat uolumẽ totum perlegere, & aſſidua lectione familiares, & bene notas facere has noſtras conſtitutiones, diuina ope eas exequi ſtudẽdo, & eo maiore ſtudio, quo quiſq; dignior, & nobilior eſt, ut cæteris exẽplo prodeſſe poſſit. Valete itaq; in Domino fratres & filii mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, & ſic ſtate in Domino, ut omnia poſſitis in eo, qui uos confortat. Dominumq; in orationibus ueſtris ſemper orate pro Santiſſimo D. N. p̃p̃. Eccleſiaq; ſua ſancta, & pro fælici ſtatu Illuſtriſſimi Dominii noſtri, totiuſq; chriſtianæ Reip. & pro Nobis, eaq; ſincera pietate, ita cũcta in bonam partem, quemadmodum a Nobis dicta ſunt accipite. Pax & gratia Domini ſit cum omnibus uobis. Amen.

Digitized by Google

# BREVE APPROBATIONIS PRÆSENTIVM CONSTITVTIONVM.

Venerabili Fratri Ioanni Matthæo Epiſcopo Veroneñ.

## PAVLVS PAPA III.

VEnerabilis Frater ſalutem & apoſtolicam beñ. Conſtitutiones, a, fraternitate tua, ꝑ directione ac ſalubri regimine, perſonarum eccleſiaſticarum Ciuitatis & tuæ Dioce. Veroneñ. & ad nos trãſmiſſas, dilecto filio Thomæ Badiæ ſacri palatii noſtri apoſtolici Magiſtro uidẽdas ac conſiderandas dedimus. Cũ autẽ idem Thomas eaſdem conſtitutiones diligentiſſime (ut aſſeruit) ꝑlegerit, ac ſalutiferas & ſanctas eſſe nobis rettulerit. Nos & ſi fraternitatis tuæ probitatem, & ingrege ſibi, a, Deo Domino commiſſo, in uiam ueritatis dirigendo, diligentiam & aſſiduam curã antea noueramus, auximus certe ex hoc nouo fructu opinionem de te noſtram, ſummæq; tuum hoc erga religionem, & Dei Domini noſtri cultum, ſtudium commendamus, & laudamus, ipſasq; conſtitutiones, earum tenores præſentibus pro expreſſis & inſertis habẽtes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, & ſub pœnis ac cenſuris eccleſiaſticis per te uel Vicarium tuum in ſpiritualibus infligendis, ab his ad quos ſpectat, inuiolabiliter obſeruãdas eſſe & obſeruari debere, dictiſq; cõſtitutionibus & illarum cuilibet parti, per cuiuſcũq; ſæcularis eccleſiaſticæue poteſtatis diſpoſitiones cõtrarias, & literas etiam apoſtolicas quomodolibet pro tempore, etiam motu proprio ædendas & concedendas, cuiuſcunq; tenoris fuerint, minime derogatũ eſſe, neq; derogari poſſe, niſi per ipſas apoſtolicas literas capituli conſtitutionum prædictarum, cuius derogationem concernent, & præſentium literarum noſtrarum totum tenorem inſertum habentes, iterum & tertio iteratas ac noſtro uel Romani Pontificis pro tẽpore exiſtentis motu proprio conceſſas, & quicquid ſecus, fieri contigerit, irritum & inane decernimus. Volentes ꝙ illarum trãſumptis etiam impreſſis, manu alicuius notarii publici ſubſcriptis & tuo ſigillo munitis plena & indubia fides ab omnibus & ubiq; adhibeatur, cõtrariis nõ obſtantibus quibuſcunq;. Hortamur in ſuper dilectos filios nobiles uiros Ducem et Dominium Venetiarum, ut pro ſua erga Deum obſeruãtia et religione, fraternitati tuæ in publicañ conſtitutionibus huiuſmodi, et pro illarum obſeruantia, quoties opus fuerit, faueant et opitulentur. Datum Romæ apud ſanctũ Petrum ſub anulo Piſcatoris, die. XXV. Maii. M D X X X X I I. Pont. noſtri anno octauo.

F. Epiſcopus Spol.

## Pia ad ſacerdotes noſtros ad ſancte honeſteq; uiuendum adhortatio.

QVó facilius Fratres noſtri cariſſimi ea, quæ in his noſtris conſtitu
tionibus ad gloriam Dei, populi ædificationem, ac maiorem lau-
dem eorum, ſeruandà ipſis propoſuimus, ſeruare animum inducant, ui-
ſum eſt hic initio pauca quædam præmittere, quę magnitudinis officii
ac dignitatis eorum illos admoneant, ut eius memores, ſicut re & nomi
ne ſunt ſacerdotes, ita opus etiam habere ſacerdotũ, ſtudeant, uitaq; ac
moribus manifeſte docere, omnia ea in ſe nomina cõuenire, quibus in ſan
ctis literis appellantur. Meminiſſe igitur in primis fratres noſtri debent,
ſe Chriſti miniſtros eſſe appellatos: legatoſq; ac diſpenſatores myſterio-
rum Dei: eiuſdemq; angelos, Chriſtos, ac Deos: ſibi commendatam eſſe tu
telam legis diuinæ: cuius eſſe ad populum præcones, aſſertores, ac uindi
ces acres debent: ſibi gregem ſuum precioſo ſuo ſanguine redemptum
dominum noſtrum Ieſum Chriſtum paſcendum tradidiſſe uerbo, ope-
re, atq; exemplo: ſe claues ab eo regni cœleſtis accepiſſe: ſuũ eſſe munus
Chriſti palmites plantare, rigareq;, ædificatores eſſe ſe templi Dei, Deiq;
adiutores dici, & medicos ægrotantium animarum, candelabrumq; ar
dens poſitum in domo Dei: eumq; in Eccleſia locum tenere, quem ocu-
lus in corpore uniuſcuiuſq;. Eos dominus noſter Ieſus Chriſtus ſal ter-
ræ, ac mundi lucem nominat: tantamq; iis docentibus authoritatem tri
buit, ut qui eos audierit, ipſum audiſſe, qui eos ſpreuerit, ipſum ſpreuiſſe
putandus ſit. Magiſtri præterea, & patres Principum ac Regum ſunt ap
pellati, exemplarq; omnibus uere pietatis ꝓpoſiti: datumq; eis ut ſacro
ore ſacrum Chriſti corpus & ſanguinem conficiant. Quæ certe omnia
uidere poſſunt, qualia quãtaq; ſint indicia ac teſtimonia excellẽtis cuiuſ
dam officii ac dignitatis: quæ donata ſibi a Domino cuſtodire omni cũ
diligentia debent, cognoſcenda, faciendaq; eius uoluntate, unde omnis
ſine dubio uera eorum laus omnis pendet & gloria, & cum populi ædi-
ficatione exaltatio nominis domini. Hæc itaq; ſingula fratres noſtri di
ligenter attendent, & operam ſtudioſe dabunt, ut plane appareat, eorum
omnem uitam cum tam præclaris, tamq; inſignibus titulis concorda-
re: nimirumq; reputabunt ſecum, quantus eſſe ipſorum animi candor,
ac puritas debet, quantum in uerbis pondus, quanta in geſtu, inceſſu, ha
bituq; corporis nõ ſimulata, neq; intempeſtiue affectata, ſed uera & ma-
tura grauitas, quantum diuinæ legis ſtudium atq; cognitio, quanta de-
niq; in omnibus eorum factis lucere honeſtas, ac ſanctimonia debet,
quomodoq; ſe ab omnibus iis & ſtudiis, & cõſuetudinibus omni ratio
ne amotos ſeruare: oĩaq; abhorrere ac faſtidire: quæ talis tantæq; digni
tatis ſplẽdorem macula ulla poſſunt afficere, ii præſertim, qui in peragẽ
dis aſſidue ſacroſanctis Domini corporis & ſanguinis myſteriis ſunt oc

Digitized by Google

cupati. Turpe eſt enim ualdeꝗ flagitioſum, homines Deo ac rebus diui
nis: conſecratos, iiſꝗ aſſidue operam dantes, non longo interuallo me-
liores cæteris exiſtere, qui in cõmuni uitæ genere uerſantur, genuſꝗ eſt
impietatis, noſtra ſententia, haud mediocre, aures ac linguam cœleſti-
bus quotidie oraculis, & diuinis laudibus audiendis, proferendiſꝗ dedi
catas, mundanarum, ac minime decẽtium rerum narrationibus pollue
re, multo uere turpius ac flagitioſius, cor ipſum, quod puriſſimum eſſe
Spiritus ſancti domicilium debet: ſordidis terrenarũ rerum affectibus
contaminare, cum homines ſacros nihil niſi ſacrum, ſanctumꝗ deceat.
Quod ſi ab iis, qui in ueteri lege bruta animalia Deo hoſtias offerebãt,
tanta, quantam ſcimus, mundicies corporis requirebatur: quanto tan-
dem eam maiorem animi ac uitæ totius ab iis nunc requiri putandum
eſt, qui ſanctiſſimam illam hoſtiam unigenitum Dei filium offerunt?
Memores proinde tam ſublimis ſtatus ſui ac officii fratres noſtri, om-
nia alta, omnia ſublimia cogitabunt, cauebuntꝗ omni cum diligentia
ne in dominum Deum, atꝗ adeo in ipſum ſacerdotii nomen exiſtant in
grati: ne ex cuius ſplẽdore uenerabiles fiunt, & maior eorũ pars uitæ etiã
p̃ſidiũ habet: illud ipſi cõtra uita ſua, ac factis dedecorent: neꝗ ullo mo
do patientur, ut de ſe dici uere illa poſſint, homines eſſe ipſos mente cor
ruptos ac reprobos, nubes ſine aqua, animales, ſpiritum non habentes:
qui quibus duces eſſe ad cœleſte regnum debebãt, iis uiam ueluti ad ge-
ennam commoſtrent. Quinimmo totis uiribus in eo elaborabunt, ut
quo altiore in gradu dignitatis a Deo ſunt conſtituti, eo maiore etiam
ſplendore fulgeant ſanctitatis: idꝗ cum ſemper tum uero quando ad ſa
croſancta myſteria celebranda erunt acceſſuri. Tum.n.ſe (ſi alias unq̃)
uere angelos Dei eſſe, Chriſtoſꝗ, ac Deos cogitabũt: ſtudebũtꝗ ut q̃ ca
ſtiſſimis animo & corpore magno cum timore tremoreꝗ, uenerabile
illud etiam angelis ſacramentum tractent, ne ſi ſecus fecerint, oratio eo-
rum ipſis fiat in peccatum, ſed ſancti ſancta tractantes ab ipſo ſanctita-
tis fonte mereantur in orationibus ſuis exaudiri. Meminiſſe autem eos
aſſidue illius, quod ẽ, in Euãgelio uolumus, ꝙ cui multũ datũ eſt, multũ
etiam quæretur ab eo, in die uidelicet quando rationem quiſꝗ cogetur
reddere uillicationis ſuæ, & item illius ꝙ duriſſimum iis iudicium fiet:
qui aliis præſunt. Caueant igitur una nobiſcum ne qui ad aperiendam
aliis ianuam cœleſtis regni ſumus uocati: ipſi eam nobis clauſiſſe: & qui
magiſtri aliis dati: ipſi ea quæ officii noſtri erant, ignoraſſe uideamur:
nomine & Dei & ſacerdotii dedecorato: factiꝗ nobis & aliis pro ſpe-
culatoribus uenatores. Quod utinam ſapientiæ, & gloriæ, & bonorum
omnium author dominus a nobis omnibus auertat. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRINCIPIVM CONSTITVTIONVM.

## DE SIGNO CRVCIS.

IN NOMINE Patris, & Filii, & Spiritus Sãcti. Amẽ. A ſuperiore deſcendendo inferius, quia dominus noſter Ieſus Chriſtus de cœlo deſcendit in terram a ſiniſtra producendo in dexteram, quia de miſeria tranſituri ſumus ad gloriam.

## ORATIO DOMINICA.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat uoluntas tua, ficut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & ne nos inducas in tentationem, Sed libera nos a malo. Amen.

## SALVTATIO ANGELICA.

AVe Maria gratia plena, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus uentris tui Ieſus, ſancta Maria mater dei ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.

## SYMBOLVM APOSTOLORVM VEL XII. ARTICVLI FIDEI.

CRedo in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ, & in Ieſum Chriſtum filium eius unicum dominum noſtrum. Qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria Virgine, Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Deſcendit ad inferos, Tertia die reſurrexit a mortuis, Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram patris omnipotentis. Inde uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos. Credo in ſpiritum ſanctum, & ſanctam eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem. Vitam æternam. Amen.

## DECEM PRÆCEPTA.

EGo ſum dominus deus tuus. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem eorum quæ

in coelo ſurſum,& quæ in terra deorſum,nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis neque coles ea, ſed diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua,& ex tota fortitudine tua.
Dominum deum tuum adorabis,& illi ſoli ſerues.
Non adſũmes nomen Domini Dei tui in uanum.
Memento ut diem Sabbati ſanctifices.
Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longæuus ſuper terram.
Non occides.
Non mœchaberis.
Non furtum facies.
Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium,ſed diliges proximum tuum ſicut teipſum.
Non concupiſces domum proximi tui,nec deſyderabis uxorem eius.
Non ſeruũ,nõ ancillam,non bouẽ,nõ aſinũ,nec omnia quæ illius ſunt.

## DE VITA, HABITV, CONVERSATIONE, ET HONESTATE CLERICORVM. TITVLO PRIMO.

### ℭHortatio ad Honeſtam uitam. C. I.

QVum Clericorum honeſtas a capitis uertice uſque ad plantam pedis uerſetur,nos omnes ſumma ope niti decet,ut nominis, profeſſioniſq; noſtræ memores, agnoſcamus,cum in ſanctorum loco ſimus,neceſſitatẽ beneuiuendi non licentiam peccandi eſſe aſſecutos,ne ſic laicis ullam præbeamus anſam peccandi, aut iure male ſentiant de clericali profeſſione,uel hinc occaſionem accipiant in uitiis perſeuerandi. Iccirco imprimis a nobis elaborandum eſt,ut ſanctorum opera exerceamus,luceantq; corã hominibus opera noſtra,ſimusq; illud ſal euangelicum in miniſterio uigilantes, & ſoliciti,plantantes,euellentes,diſſipantes,& cum ſummo ſtudio ædificãtes,quæ ad pietatem proſpiciunt. Aliter enim nobis alios corrigere uolentibus facile obiicietur. Medice cura te ipſum:Curãdũ igitur eſt,ne eius, quod in nobis requiritur,totũ oppoſitũ reperiatur,ne honeſtatis loco ſuffecta inhoneſtate,quis merito dicat,a planta pedis uſq; ad uerticẽ capitis nõ eſſe in nobis ſanitatẽ.

### ℭDe tonſura deferenda. C. 2.

QVumq; eo deuentum ſit hodie,ut pleroſque pudeat tonſuram,& coronam decentem ferre,per quam regnum,quod in Deo habere debent,deſignatur. Statuimus,& monemus omnes & ſingulos eccleſiæ noſtræ Ciuitatis,& Diœceſis Veronenſis clericos,& eccleſiaſticas quaſcunque perſonas,quocunque nomine,aut dignitate cenſeantur, ut tonſuram,& coronam ſeu clericam ordini ſuo congruentem, continue deferant,abraſam,& uiſibilem:& qui impreſentiarum non habent ſta-

Digitized by Google

tum resumant,& deferant ut supra.

## De congruitate clericæ. C. 3.

CONgruentem autem eam coronam seu clericam (ad tollendam quorundam malignantium fraudem) interpretamur ut sacerdotes omnes, tam in dignitate ecclesiastica constituti q̃ aliis cuiuscunque ordinis etiam non beneficiati, Non minorem una Hostia magna. Cæteri uero in minoribus,& sacris ordinibus citra Sacerdotium constituti licet non beneficiati non minorem Hostia parua possint deferre: Religiosos autem secundum sui ordinis instituta,& determinationem, quemadmodum in cæteris, Ita & in his ad unguem uiuere uolumus.

## De coma nõ nutriẽda & de birreto & subbirreto. C. 4.

QVum secundum Apostolum ignominia sit uiro, qui comam nutriat, Mandamus, q̃ omnes clerici capillos prope aures incisos gestent, non calamistro, seu discrimine, molhum ac effeminatorum more compositos, Birreto honesto, rotundo, sine plicis, uel cum cruce curialiũ more, honesti,& permissi coloris utantur, illudq; non more quorundam leuium laicorum in transuersum ferant. Vsum autem subbirretorum, quæ orechini uulgariter nuncupantur, cum redimiculis seu pinnulis, quæ etiam plerunque sub gutture colligantur, penitus prohibemus, si qui uero his indiguerint, illa absque redimiculis, seu pinnulis huiusmodi, honestæ composita deferre permittimus.

## De Habitu congruente portando. C. 5.

QVamquam clericalis sinceritas & modestia ecclesiastica, non minus ex honesto habitu, q̃ ex honestis moribus ostenditur, & talis quis esse presumitur, qualis ex habitu iudicatur, Complures tamen clerici ad hoc non aduertentes, etiã in sacerdotio cõstituti, tam curati, q̃ non curati, reiecta honestate, dissolutos habitus, suoq; statui deformes, etiam in ecclesiis & publicis conuentibus deferre non uerentur, Sunt & alii, qui tam uilibus utuntur uestimentis, ut potius operarum locatores, q̃ missarum celebratores uideantur, Quumq; pariter & affectatæ sordes,& exquisitæ delitiæ damnentur. Nos circa præmissa prouidere, salutiq; subditorum consulere cupientes, Omnibus & singulis iurisdictionis nostræ clericis, ne per dissolutarum & indecentium uestium delationem sacerdotis dignitas uilescat, Præcipimus & mandamus, ut post hac habitus suo statui decentes,& cõgruentes deferant.

## Super eodem de uestibus. C. 6.

VEstes ergo superiores gestent Talares, nimia longitudine, uel breuitate non notandas, ita ut nimia amplitudine superflue, aut plus æquo cõstrictæ non sint, collum tegentes,& desuper clausas, seu coniunctas,& tales, propter quas omnino a laicis distinctionem recipiant. Vestes autem inferiores, quas subtaneas uocãt, ita longas & honeste consutas, ut caligæ supra crura, & diploides, etiam si exterius indumentum



Digitized by Google

aperiatur, nullatenus appareat, Sagulorum breuium praeſertim ad medium crurium non tendentium, & criſpatorum, & caeterarum ueſtium expeditarum uſum penitus interdicimus. Cum huiuſmodi magis ſecularis, q̃ coeleſtis militiae milites deceant. Similiter illud ueſtis genus cum Varo ab humeris pendente cum pellibus, uel ſine deteſtamur, nõ ferant caligas circa genu diſſutas heluetiorum more, quas toxalia appellant, ita ut caro inſpici poſſit.

De coloribus ueſtium. C. 7.

VEſtes quoque ipſas non habeant ex coloribus a ſacris canonibus prohibitis, non diuiſatas, non ſtridatas, aut ſcaccatas, ſoleas ſimiliter uel creſpidulas ex ueluto, uel ſerico coopertas, non aliter incisas, uel ſtrataliatas a uiridi, glauco & roſeo colore, & fericeis ueſtibus, ſimplices ſacerdotes abſtineant, Liceat autem doctoribus, atque aliis in dignitate conſtitutis, honeſtas & longas ueſtes, cendato uel pellibus fodratas, & roſeo etiam colore tinctas deferre, eos tamen hortamur, ut eas habere uelint, in quibus clericalis ordinis honeſtas, & modeſtia, non faſtus, iactantia, uel elationis uitium deprehendatur, ne merito uanitatis, & ambitionis nota poſſint inuri.

De Annulis, & zonis. C. 8.

PRohibemus inſuper, ne quis ſacerdos ad collum monile, ſeu cordulam etiam cum illi appenſo forſan dentiſcritio aureo, uel argenteo, & margaritis, aut annulos in digitis deferant, aut cingulum ex ſerico, auri, uel argenti ornatum habens, niſi forte huiuſmodi ſint, quibus id ad ſuarum dignitatum decorem ex ſacrorum canonum diſpoſitione permittitur.

De Camiſiis. C. 9.

CAmiſias inſuper lineas in uſu habeant, circa collum, & manus, uel brachia rugis, aut criſpis, uel aliter ex ſerico, uel candido biſtorto non laboratas, laſciuorum more, ſed ſolum ſimplices cum ſuis collaris honeſtis, non pendentibus.

De habitu in Equitan. C. 10.

SI quando urgente neceſſitate, petita quemadmodum inferius dicetur a Nobis, ſeu Vicario noſtro licentia, equitare contigerit, liceat eis uti breuioribus ueſtibus, modeſtis, pileis tamen cum pennis, aut ſecularium birretis etiam in itinere uti eis nullo pacto liceat, ſed quanto honeſtioribus poterunt, indumentis utantur, ut ex illis, quales ſint, non modo cognoſci, ſed etiam honorari poſſint. Quum aliter mali animi argumentum ſit, ut quod quis ſit, illud uideri nolit, nulli ergo liceat, niſi aliud neceſſitas exegerit, habitum transformare.

De equitaturis. C. 11.

ET ne de Chriſti patrimonio (quod pauperum eſt) luxuriari clerici uideantur, cum graui Laicorum ſcandalo, abſtineant omnino aut

ab equitaturis plus æquo phaleratis, non frenis, non epiphiis, aut ſellis, non pectoralibus, non calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem habentibus utantur, clerici enim de altari uiuere, non luxuriari permittuntur.

## De pœnis contra rebelles in prædictis. C. 12.

QVicunque autem in præmiſſis uel aliquo præmiſſorum defecerint, ſi clerici primæ tonſuræ, & quattuor minorum ordinum, & non beneficiati fuerint, pœnas extrauagantis Fe. Re. Pauli pp. II. & decreti Clement. pp. VII. per reſcriptum ſuum in forma breuis Illuſtriſs. D. noſtro conceſſi, eo facto incurrant. Clerici autem in ſacris, & ſacerdotio conſtituti, non autem beneficiati, ultra pecuniariam pœnam, pro Noſtro, aut Vicarii noſtri arbitrio imponendam, pœnam carceris eo ipſo incurrant, inibi, quoad nobis libuerit, permanſuri. Beneficiati autem per Ciuitatem, & Dioc. noſtram, ultra eaſdem prædictas pœnas, ſint eo ipſo a perceptione omnium fructuum beneficiorum prædictorum, ſpatio ſex menſium ſuſpenſi, in qua quidem ſuſpenſione etiam ulterius tam diu maneant, quamdiu fuerint pertinaces ad ſe conformandum congruentiæ prædictæ, & etiam aliis pœnis arbitrariis ſubiaceant, & beneficiorum fructibus, Eccleſiarum, quibus præſunt, fabricis aſſignandis & ueſtibus, & aliis ornamentis damnatis, & non condecentibus per nos reputatis, cum quibus reperti fuerint, aut per duos teſtes conuicti, ipſo facto amiſſis.

## De armis non portandis. C. 13.

SAcrorum Canonum inſtitutis militaria arma clericis ſumere prohibitum eſt, quia non poſſunt ſimul & Deo, & ſæculo militare, ex quo militaribus interdicitur, ſuis propriis armis, quæ ſunt orationes, & lachrimæ, uti non prohibentur, quibus ſane armis promeretur Deus. Talibus enim cum Deo pugnante Moſe, populus ſuus uincebat, Talibus Theodoſius imperator ſenior Miraculorum uictoriam contra Eugenium, & Arbogaſtem obtinuit, Sanctorum igitur patrum ueſtigiis inhærentes, Statuimus, ꝙ quicunque Clericus ſæcularis, uel regularis, quacunque eccleſiaſtica dignitate præfulgeat, enſes, & arma portauerit, niſi extra Ciuitatem per loca ſuſpecta contigerit eos ire, aut alia ſubſiſtente neceſſaria cauſa, de noſtra, ſeu Vicarii noſtri licentia, illa deferret, arma perdat, & pro prima uice pecuniariam pœnam incurrat, noſtro, aut Vicarii noſtri arbitrio imponendam, Secunda uice per quoſcunque etiam ſæculares Ciuitatis, & Dioc. officiales poſſint capi, ſiue in habitu clericali fuerint, ſiue non, ita ꝙ capti illico ad carceres epiſcopatus duci debeant, nec inde relaxentur, niſi per eos pœna noſtro, uel Vicarii noſtri arbitrio imponenda, & pro parte officialibus capientibus applicanda pro parte ad pios uſus conuertenda, integre ſoluta fuerit. Religioſi uero & ſæculares, qui pecuniaria mulctati nõ poſſunt, per Nos, uel Vicarium

Digitized by Google

noſtrum, carceri deputabuntur, prout nobis uiſum fuerit, & arma perdant. Nullus autem ſiue pedeſter, ſiue equeſter fuerit, baliſtas, ſeu ſcloppettos portare præſumat, quas, uel quos qui portare auſus fuerit, pro qualibet uice ad pecuniæ & carceris pœnam damnabitur.

¶ De non eundo de nocte. C. 14.

SAne cum ſuſpecti temporis ratione maior delicti præſumptio inſurgat, qui enim male agit, odit lucem, nullus cuiuſcunque ſtatus, gradus, dignitatis, uel conditionis exiſtat, audeat per ciuitatem poſt ſonum campanæ communis Veronæ ire ſine lumine, alioquin qui ſic repertus fuerit, ſi ſine armis, in libris ſex pro qualibet uice condemnamus, ſi uero cum armis, maiori pœnæ pro arbitrio noſtro imponendæ & carceris, penſata rei & perſonæ qualitate ſubiacebit.

¶ Idem & de non eundo cum inſtrumentis muſicis. C. 15.

ET quoniam clerici media nocte ad confitendum Deo ſurgere, & ſepties in die laudem dicere debent, & quod Deo pſallendo promittunt, una cum Propheta, in iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos, etiam re ipſa preſtare, ſi contingat, mala malis addentes, & de nocte euntes etiam turpes amatorias, aut laſciuas cantilenas, quas Matinatas, ſeu ſerenatas, aut alias quomodolibet appellant, depromere, ſeu cantantibus fauere, uel adeſſe, ſiue cum armis ſiue ſine armis reperti fuerint, ultra pecuniariam pœnam pro Noſtro aut Vicarii noſtri arbitrio imponendam, carceri etiam mancipentur, & per menſem a diuinis ſuſpenſi exiſtant.

¶ De Honeſtate clericorum & conuerſatione. C. 16

COnquerendi occaſionem non haberent clerici, ꝙ illis a laicis debitus honor non deferatur, & ꝙ laicos in omnibus ſibi oppido infeſtos experiantur, ſi ipſi onus humeris ſuis impoſitum ponderantes, re ipſa, quod ſibi a ſeruatore noſtro dictum eſt, exequerentur, uel ſaltem exequi conarentur: Hortamur igitur & monemus clericos omnes, tam religioſos, q̃ ſeculares iuriſditioni noſtræ ſuppoſitos, ut memores ſe quaſi ad ſagittam ſignum poſitos, in primis, eos quibus præſunt, bono exemplo paſcere ſtudeant, uitæ ſuæ bonus odor ad bene, beateq; uiuendum cæteros inuitet, quod quidem futurum facile ſperamus, ſi quæ per ipſos facienda, uitanda ue adiuuante Deo monebimus, ipſi eodem adiuuante facere, uitare ue ſtuduerint.

¶ De inceſſu, ſermone, & oculo. C. 17.

CVm igitur corporis incompoſitio, mentis qualitatem indicet, monemus in primis omnes, ut inceſſu honeſtatem exhibeant, ut grauitate itineris, mentis maturitatem oſtendant, pudorem omnium uirtutum cuſtodem, & uerecundam mentem habitu incæſſuq; præ ſe ferant, in uerbo ſint modeſti, non obtrectatores, non effrenis linguæ, uerborum obſcœnitatem, non minus q̃ operum execrentur, quum ſæpe ex

Digitized by Google

qualitate ſermonis,qualis quis ſit,facile dignoſcatur,& nõ longe ſit a facto,qui delectatur in uerbo, non diſſolutus riſus, non indecens oculorum uagatio notetur in eis. Cum impudicus oculus impudici cordis ſit nuncius,ſed mentis oculum purum habeant,corporis oculum pudicum,adminiſtrationis oculum prouidum.

¶De non exponendo ſe ſpectaculis. C. 18.

SI quis uero gradus, ordinis, profeſſionis immemor factus,choreis publicis,haſtiludiis,tripudiis,aut ſaltationibus,aut ſpectaculis publicis,atque aliis eiuſmodi ſeſe immiſcuerit,aut notabili tempore interfuerit,aut in choreis cum mulieribus cuiuſcunque qualitatis uel conditionis ſaltauerit,uel chorizauerit,intereſſẽtes in XXV. libris,tripudiantes uero in X. Duc.condemnentur,grauiori pœnæ etiam ſubiiciendi, ſi quod inde ſcandalum ſequutum fuerit. Volumus quoque,ut ſimiliter conuiuia præſertim Laicorum publica fugiant, nec ad loca, in quibus celebrantur, aut cantu, aut fidibus, laicorum animos recreaturi accedant. Cantores autem clericos,qui ſpreto noſtro mandato, nobis irrequiſitis aliquo,ut præfertur,cantaturi accedere auſi fuerint,ad pœnam carceris condemnamus,eos a diuinis ad arbitrium noſtrum ſuſpendentes.& pro ſuſpenſis haberi uolẽtes,quibus etiam notificamus,ꝙ ſub pœna nobis arbitraria,nullo pacto, ſine noſtra, aut uicarii noſtri licentia audeant extra proprias eccleſias ad aliquem alium locum accedere ſub pretextu miſſas,& alia diuina officia cantandi.

¶De temperata clericorum uita,& ne uacent crapule. C. 19.

NOlite inebriari uino,in quo eſt luxuria,ait Apoſtolus,Sacerdotem enim oportet ſobrium eſſe,& non uinolentum ſeq; a crapula,& ebrietate abſtinere,& ſi enim ebrietas omnes dedecet,clericos tamen potiſſimum,tum propter deriſum, tum etiam propter periculum. Clerici enim ebrii neque diuinum officium perſoluere,neque ſacramenta miniſtrare, neque ſi opus eſſet, in baptiſmo ſacerdotalia uerba proferre poſſunt,quum uinum mentis exilium inducat,uino etiam æſtuantes rixas, lites,iurgia, contentiones & contumelias in populo commouent:iccirco tam pernicioſo morbo ex debito paſtoralis officii nobis iniuncti prouidere uolentes, Statuimus ꝙ ſi quis ebrius comprehenſus fuerit, pro prima uice ducatum unum ſoluat, & pro quindecim diebus ſit ſuſpenſus a diuinis,pro ſecunda uero uice,dupplicetur pœna,pro tertia uero,tanq̃ incorrigibilis perpetuo ſit ſuſpenſus, & ſi beneficium habuerit curatum,ſeu reſidentiam requirẽs,per Nos ſeu Vicarium noſtrum poſſit taxari qualecunque ſalarium uiſum fuerit, uni cappellano pro ipſo in dicto beneficio deſeruienti,iuxta facultates in forma breuis a ſanctiſſimo D.N.pp̃.Nobis conceſſas.

Digitized by Google

¶Quod non intrent Tabernas. C. 20

STatuimus etiam ſub pœna nobis arbitraria, q̃ nullus ſiue clericus, ſiue religioſus ſit, tabernas, aut cauponas, edendi aut bibendi cauſa intret, aut ſub porticu alicuius tabernæ, uel aliis porticibus, ibi adhærentibus, uel in uiis publicis edat, neque bibat, niſi peregrinationis, aut alia urgenti cauſa fuerit compulſus.

De Honeſto loco in Ciuitate deputato, ad quem Rurales Sacerdotes diuertere debeant. C. 21

QVum experimentis didicerimus, Pleroſq; ſacerdotes Rurales, qui ad Ciuitatem accedunt, uel per nos aduocati, uel occaſione aliqua compulſi, ex malitia ſeu ſimplicitate tabernas ingreſſos, cauponum, lenonum, & meretricum ibi cõmorantium blanditiis, uariiſq; aucupiis tanq̃ hamo piſces, aut aues uiſco allectos, luxuriæ frena laxaſſe, & uana ac deteſtãda ſcelera perpetraſſe. Nos huiuſmodi ueluti offendicula coram cæco poſita amouẽtes, Deputauimus in Ciuitate locum unum honeſtum aptum, & competentem, ad quem clerici pauperes Ruralesq; Dioc. noſtræ in Ciuitate commercium alicuius honeſtæ perſonæ non habentes, quum eos uel uocari, uel occaſione aliqua ad urbem uenire contigerit, diuertere edendi, & bibendi cauſa omnino debeant, & hoſpitari, ad quem ſi declinare dedignati fuerint, & in aliquod crimen inciderint, grauiter pro modo culpæ, pro arbitrio noſtro caſtigabuntur.

¶Damnatur quidam Abuſus compotationum. C. 22.

QVum in noſtra, quam Deo propitio ſuperioribus annis fecimus, uiſitatione, in nonnullis partibus Dioc. noſtræ, & maxime ad Germanice confines, ſeruari inuenerimus Abuſum quendam, olim a Fe. re. Inno. pp. III. in generali concilio dãnatum, quo etiam ſtatim completa miſſa mares & fœminæ, & ipſi etiã ſacerdotes tabernas, quæ apud ſacras ædes ſunt, ingredientes, plauſus & riſus incõditos, & fabulas inanes referendo, & cantando, ad potus equales ſuo modo ſe obligant potatores, & iudicio talium plus laudatur qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit unde poſtea multa ſcandala oriri ſolent, unde abuſum iſtum penitus abolere, & ſcandalis, quantum in nobis eſt occurrere cupientes, decernimus ut ſi fieri poteſt, ſtudeãt ſacerdotes populo ſuadere, ut tales tabernæ deſtruantur, cum unuſquiſque habeat domum ſuam ad manducandum, & bibendum, & non liceat eccleſiam Dei contemnere. Quod ſi laici ad hoc induci non potuerint, prohibemus omnino ſacerdotibus ſub pœnis contra ebrios ſuperius ſtatutis, ne ipſi ſaltem ingrediantur, neque ſe immiſceant, ne eorum exemplo credant forte laici eadem ſibi licere, quod enim a clericis agitur, facile a laicis trahitur in exemplum.

De Congre-

Digitized by Google

## De Congregationibus ſacerdotum ruralium, ſaltem ſemel in menſe faciendis. C. 23.

QVum ſupraſcriptum compotationum abuſum abrogauerimus, congruū eſt, ut ſubiiciamus infraſcriptū laudabile inſtitutū, quod in quibuſdā diœceſis nr̄æ partibus pullulauit, quodq; cōſpicientes q̄ fructuoſum exiſtat, per uniuerſam Dioc. prædictam uehemēter optamus obſeruari, ut ſcilicet ſacerdotes rurales conuicini eorum locorum, (prout ipſam dioc. congrue in partes diſtinxerimus) ſaltem ſemel in mēſe ad unum ex ipſis locis, & ſic ſucceſſiue ad ſingula queque loca ipſa circulariter accedant, & conueniant, ibique populi illius loci multitudine conuocata, miſſas tam pro uiuis, q̄ pro defunctis celebrent, qui non fuerint legitimo impedimento detenti, unus ex ipſis prædicet, actibusq; intenti ſalubribus exequantur ſollicite quæ ſunt Dei, ſintq; quaſi luminoſæ ardentesq; lucernæ ſuper candelabrum in domo Domini poſitæ, ut ſic populus eorum inſtruatur doctrina, uirtutibus & moribus informetur, nec ab hoc tam ſalutari inſtituto labor debet aliquos deterrere, quos exemplum Apoſtoli poterit nō modicū ſubleuare, qui ſuadet eis laborem huiuſmodi non refugere, dum aſſerit pro cōmuni ſalute ſe plus cæteris laboraſſe, in hoc enim rectæ p̄ponetur doctrina ſilētio, ſollicitudo contemplationi, & labor quieti. Recipiens autem lautæ menſæ gloriam non affectet, & dum cibus ſumitur, mens ſanctis lectionibus & colloquiis ſpiritualiter recreetur, aliiſque agatur, prout in quibuſdam capitulis in hoc negocio factis, & per nos approbatis continetur, & habetur, ex quibus quidem congregationibus, ſi recte fient, quot per has ſanctas æmulationes, profectus in uia dei, quot pia opera euentura ſperentur, nullus ſanæ mentis ignorat.

## De numero ferculorum apponendorum C. 24.

QVum tota eccleſia Dei elemoſinis ſubſtētetur, & quicquid ſupereſt clericis, id totum pauperum ſit, abſurdum & ſcandaloſum ſane uidetur, ut clerici, qui parſimoniæ exemplum, ac ſobrie uiuēdi normam laicis præbere debent, auctores potius ſint in conuiuiis ſuis excogitandi uana, & diuerſa ciborum condimenta, quibus uentris ingluuies expleatur, ne igitur luxurioſe diſſipetur Chriſti patrimoniū, decernimus, ut nullus clericus quacunque præfulgeat dignitate, in conuiuiis priuatis ſeu publicis, audeat plura tribus fercula diſcumbentibus apponere, quod etiam magis tolerando q̄ probando inſpecta temporum qualitate concedimus, Ne ſi al's fieret, quum etiam inſipientibus & puſillis debitores ſimus, auaritia potius q̄ parſimonia iudicetur, Elemoſinis enim uiuimus, & laicis frugalitatis & parſimoniæ exemplum poſiti ſumus, a

quibus tamen excitamur ad ita ſtatuendum, quum per dominos tem/porales iam cautum ſit ſub grauiſſimis pœnis, pro tollenda ciborum luxuria, ac ne tot, & tanta conuiuiis fercula apponantur, quæ poſtea magno parata labore ac conſumpta doleamus.

## Conuiuiorum publicorum: & priuatorum diſtinctio. C. 25.

COnuiuia autem illa priuata intelligimus, quæ clerici inter ſe ex intentione impendendæ charitatis facere ſolent, quæ tunc ex charitate ueraciter prodire noſcuntur, ſi in eis nulla abſentium uita mordetur, ſi nullus ex irriſione reprehenditur. Publica autem ea intelligimus, quæ quis ex aliquo onere, ſeu ratione tituli eccleſiæ ex urbanitate facit, in quibus non inanes fabulas, ſed uerba ſacræ lectionis audiri mandamus. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non neceſſariæ prohibentur, ſic enim facientes clerici, uel ad officium mortuorum, uel ad ferias ſolennes uocati, laicos magis ædificabunt, q̃ ſi abſentibus eos detrahere, uel murmurari, uel obſcœna uerba interponere audierint, & quotiens ultra ſex fuerint ad menſam, omnino conſtitutio iſta ſeruetur. Memores quoque ſint ſemper præmiſſa benedictione ad menſam ſecundum ordinem ſedere, altero alterum in honore præueniente, ſimiliter poſt cibos, gratiam Deo auctori referant ad exemplum Domini, ſicut in cœna feciſſe legitur.

## De conuiuiis Religioſorum. C. 26.

PRohibemus etiam ne religioſi, cuiuſcunque ordinis, aut ſtatus exiſtant, audeant in aliquo alterare conſtitutionem ſuperiorem, qua cauetur, ne plura tribus fercula in aliquo conuiuio diſcumbentibus apponantur, ſub pœna, de qua ibi. Adiicientes, ꝙ in feſto eccleſiarum ſuarum ad prandium laicos præter medicum, procuratorem monaſterii, & duos uel tres alios probos uiros, loci ipſius cultores non decet admittant. tibicines autem & buffones in refectorium, ſeu in clauſtrum nullo pacto introducant.

## Quod nullus ſe abſentet ſine licentia Epiſcopi. C. 27.

STatuimus, ꝙ nullus abſque noſtra uel Vicarii noſtri licentia, ab Eccleſia curata cui præeſt, ſe per notabile ſpatium abſentet, uel a Ciuitate, & Dioc. Veroñ diſcedat, quam conſtitutionem tam curatos, q̃ non curatos et tam in ſacris ordinibus q̃ in minoribus cõſtitutos cõprehendere intendimus, Quum non bene conueniat epiſcopum tanq̃

patrem neſcire, ubi chari & dilecti filii ſui morentur, & paſtoris etiam interſit non ignorare, ubi, & in quo loco, & ex quo tempore oues ſuæ reperiantur, cum eiuſdem nulla excuſatio poſſit eſſe, ſi lupus eas comederit, & paſtor ignoret, conſuetudine forſan, & aliis in contrarium exiſtentibus quibuſcunque non obſtan.

¶ Quod debeant denunciari exceſſus clericorum, & de poena non denuntiantium. C. 28.

ET quoniam nos homines ſumus, & ubique eſſe non ualemus, & plerunque accidit, ꝙ grauia delicta per ſacerdotes, clericos, & alias eccleſiaſticas perſonas, in ciuitate, & Dioc. Veroñ & in locis remotis committuntur, & à ſuperiore ignorantur. Quum prælati exceſſus corrigere debeant ſubditorum & publicæ utilitatis interſit, ne crimina maneant impunita, ne per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, nequiores. Monemus omnes & ſingulos beneficiorum quorumcunque Rectores, Vicarios, & capellanos, & alios quocunque nomine nominentur, quatenus in uirtute ſanctæ obedientiæ, & ſub poena XXV. librarum, quamprimum ſciuerint, ſeu uiderint clericum aliquem ea, quæ gradui, & ordini ſuo minime congruunt, perpetrare, & aliqua ex ſupradictis indecenter cõmittere, ſi ſemel, & iterum fraterna correttione admonitus reſipiſcere noluerit, nobis & officio noſtro, in termino dierum trium, uel quam primum potuerit, denuntiare, notificare, & inſinuare debeant, & teneantur, denuntiatoribus nihilominus promittentes, ꝙ non propalabuntur.

¶ De prohibita cohabitatione clericorum & mulierum. C. 29.

CVm a planta pedis uſque ad uerticem non ſit locus in mulieribus, in quo non ſit paratus laqueus ad illaqueãdum oculos hominum, ideo ſacrorum Canonum diſpoſitionibus inherentes, prohibemus magis ex abundantia cordis loquentes, q̃ ꝙ pro nunc neceſſarium ſit arbitrantes, & magis futuris caſibus, q̃ præſentibus proſpicientes quum per Dei gratiam nullus in Ciuitate & Dioc. noſtra ad preſens reperiatur, qui publice, aut occulte (quod Nos ſciamus) concubinas teneat ꝙ nullus clericus, ſiue in minoribus, ſiue in ſacris ordinibus, uel in aliqua dignitate ſit conſtitutus, foeminam aliquam alicuius ſortis ſeu conditionis, ſiue ſuſpectam, ſiue non ſuſpectam, ad habitandum ſecum in domibus ſuis admittere audeat, ſeu ſecum quomodolibet cohabitare permittat ſine expreſſa licentia a nobis, ſeu uicario noſtro in ſcriptis obtenta, ſub poena quinquaginta librarum, quotiens contrafecerit incurren-



Digitized by Google

da, In qua quidem licentia concedenda præſertim circa eas mulieres, ali as bonæ famæ, & in quibus naturale fœdus aut alia ratio nihil patitur ſeui criminis ſuſpicari nos non difficiles præſtabimus Si autẽ mulier il la fuiſſet, cum qua alias carnale commertium habuiſſet, ſub pœna carce ris ad arbitrium noſtrum duratura. Diximus autem ſiue ſuſpectam, ſi ue non ſuſpectam, quia intentionis noſtræ eſt, optime & diligentiſſime prius uentilare, quæ ſit mulier illa, cuius uitæ, famæ, & opinionis, nam ſi eſſet aliqua, quæ iam libidinoſis complexibus fuiſſet aſſueta, etiam ſi nunc eſſet ſeptuaginta annorum, nullo eam pacto clerico cohabitare permittemus. Proinde omnes cuiuſcunq; generis clericos & religioſos, ſiqui ſunt concubinarii, monemus, ut cõcubinas ipſas expellant, & cum illis amplius cõmertium non habeant, nam qui ſuadente diabolo poſt trium dierum terminum præfatas cõcubinas publice detinere præſumpſerit, ſi beneficiati fuerint, pœnã priuationis beneficiorũ ſuorũ, quæ in Ciuitate, & Dioc. nr̃a obtinuerint, incurrãt, Si uero nõ beneficiati, tãdiu in carceribus Epiſcopatus maneant, quãdiu nobis uiſum fuerit, a quibus liberari non poſſit, niſi prius XXV. ducatis ſolutis, quorum una pars ſit accuſatorum, altera officialium detinentium, tertia uero pars ſocietati ſanctiſſimæ Charitatis applicetur.

### ¶ Quod non liceat locare partem domus mulieribus aut uiris uxoratis. C. 30.

AD tollendas omnes peccãdi tam occaſiones, q̃ ſuſpiciones, ſtatuimus, ꝙ nullus clericus cuiq̃ mulieri, neque uiro uxorem habenti locet eiuſdem domus partem aliquam, aut ſeruum, ſeu gaſtaldionem, uel negotiorum geſtorem cum uxore domi ſecum teneat, aut tales in area, ſiue curtiuo prope eccleſiam aut domum ſacerdotis habitare permittat.

## DE CELEBRATIONE DIVINORVM, ET ORDINIBVS ECCLESIASTICIS TITVLO SECVNDO.

### ¶ De calendario cathedralis Eccleſiæ ab omnibus recipien̄. C. I.

QVum deformis uideatur pars illa, quæ ſuo toti non conueniat, quilibet iuriſdictioni Noſtræ ſubiectus, teneatur per totam Natalis Domini octauam ſingulis annis Calendarium, ſiue ſanctorum Tabulã, iuxta ritum Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ recepiſſe, ut ſic omnes eccleſiarũ Rectores, & Capellani, & alii clerici Dioc. Nr̃æ unũ eun-

Digitized by Google

demq; in pſallendo Deo, dicendoq; officium, teneant modum, quem a Cathedrali Noſtra Eccleſia cognouerint inſtitutum, ut ſic eccleſia illa, quæ cæterarum huius Dioc. eſt mater eccleſiaſticæ dignitatis, uel rationis ſit quoque magiſtra.

## ¶ De cōmemoratione ſancti Zenonis. C. 2.

ITem ad honorem beati Zenonis, cuius precibus commendatam Ciuitatem Noſtram pro certo habemus, Hortamur omnes, & ſingulos Ciuitatis Noſtræ clericos, ut in ferialibus & dominicis diebus, quibus ſanctorum ſuffragia implorātur, Diui quoque Zenonis in Matutinis, & Veſperis, & in Miſſis, etiam in collecta, A cunctis, ſtatim poſt Apoſtolorum Petri, & Pauli cōmemorationem, celebrent, ſubnectendo poſtea ſanctos, ad quos ſingulorum deuotio ſe extendit.

## ¶ Quod Religioſi conforment ſe cathedrali Eccleſiæ in feſtis ſanctorum Epiſcoporum. C. 3.

REligioſos etiam omnes & Religioſas Ciuitatis & Dioc. Noſtræ, cuiuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, & cōditionis exiſtāt, tam ordinaria, q̄ Apoſtolica authoritate aſtrictos, & aſtrictas eſſe decernimus ad habendum etiam apud ſe in ſuis ſacriſtiis, aut choris prædictam ſanctorum Tabulam, ut etiam ipſi (ut par eſt) cum de pane Veronenſi uiuant, Cathedrali Noſtræ Eccleſiæ ſe conforment in feſtiuitatibus celebrandis triginta ſex Epiſcoporum Veroſi. ſanctiſſimorum, qui in beatorum Cathalogo relati ſunt, quos Magnificam hanc Vrbē ſuis optimis inſtitutis, Ieiuniis, Vigiliis, Orōnibus Dño cōſecraſſe adiuuiſſe, & quotidie clemētiæ diuinæ cōmendare, & adiuuare, non ceſſare, credendum eſt, faciendo officium duplex, & eorum feſtiuitates celebrando annis ſingulis ſuis diebus, perpetuis futuris tēporibus. Prædictæ quoq; cathedralis eccleſiæ dedicationem die ſuo ſolenniter celebrent ſub duplici officio, & ſimiliter in ferialibus, & dominicis diebus, ut ſupra ſancti Zenonis, in Matutinis, Veſperis, & Miſſis, cōmemorationem faciant.

## ¶ De Indulgentia conceſſa celebrantibus ut ſupra. C. 4.

PRædeceſſorum Noſtrorum ueſtigiis inhærentes, Nos quoque de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſanctiſſimorumq; confeſſorū prædictorum meritis confiſi, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus diuinum officium modo præmiſſo celebrantibus, centum dies de iniunctis penitentiis in forma eccleſiæ conſueta perpetuis futuris temporibus miſericorditer in Domino relaxamus.

## ¶ De Reuerentia exhibeñ. quando intrant in Eccleſiam ad diuinum officium. C. 5.

QVemadmodũ ſæculi Milites audito tubæ clangore arma ſumentes, omni excluſo torpore, ac ignauia, ſe ad prælium præparant, ut corruptibilem coronam accipiant, longe maiore diligentia, ac ſolicitudine clerici omnes Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ (ut ab ea incipiamus) qui in dicta eccleſia reſidere, & diuinis intereſſe tenentur, ut incorruptam accipiãt, Dato Campanæ squillæ horis competentibus ſigno, ſeſe ad Deo pſalleñ. purgatis auribus præparare debent, & omnes in ſacrarium, aut in alium condecentem locum prius cõueniant, unde omnes ſuperpellitiis ſuis ſiue Cottis mundis induti, honeſte poſtea egrediantur, & aliqua cum deuotione chorum intrent, reuerentiam profunde in medio chori Altari magno facientes, ſinguli ad loca ſua acceſſuri ſine ſtrepitu atque tumultu, in quibus genuflexi orationem Dominicam dicant. Surgentes poſtea ad ea, quæ ſibi incumbunt exequẽdum, & ſi quis eo tempore non conueniſſet, qui tardi fuerint, modo prædicto, aut in ſacrario, aut in diuæ Helenæ, aut diui Ioannis ſacellis, ſuperpellitiis induti Chorum, ut prædictum eſt, intrent, & ad loca ſua accedant. In eccleſia autem Cathedrali nullo pacto quis audeat aut induere, aut exuere ſe ſuperpellitio.

## ¶ Qua Reuerentia ſtare debent in Choro. C. 6.

HOrtamur autem omnes ut cum in choro fuerint, nominis profeſſioniſq; ſuæ memores, grauitatem illam ſeruent, quam locus & officium, & uenerabilis ſacramenti præſentiæ expoſcunt, non cum aliis etiam de honeſtis confabulantes, ſeu colloquentes, non litteras ſeu ſcripturas alias tunc legentes. Et ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita eorum in circuitu menſæ domini aſtantium oculi, ſemper cum timore, & tremore ad præcelſum, & ſuper omnia precioſum ſacramentum, Ibi ſupra altare Magnum exiſtens, in eo congaudendo lachrymantes, & lachrymando deuote gaudentes, guſtantes, & uidẽtes, quam ſuauis eſt dominus, inuigilent & ſtudeant, ut diuinum officium, qua decet deuotione, celebretur, non curſim, aut feſtinanter, ſed tractim, cum pauſa decenti, præſertim in medio cuiuſlibet uerſiculi Pſalmorum, debitam faciendo inter ſolenne, & feriale officium differentiam.

## ¶ De officio Punctatorum & Punctationum libro bis in menſe præſentando, & quo animo ad reſidendum obligati reſidere debeant. C. 7.

SAcramento aſtricti Punctatores ſingulis menſibus de more deputati, fideliter & perſonaliter, niſi iuſta & legitima cauſa & per Nos ap-

probata eos excuſet, munus iniunctum exequi debeant, nemini in hoc parcentes quum talis remiſſio non ex eorum diſpoſitione, & indulgentia, ad alicuius gratificationem, & obſequium dependeat, ſed in animarum ſuarum præiudicium tendat, & in diuini cultus, quem potius augeri oporteret, diminutionem, & in reſidentium damnum, quibus non reſidentium portio accreſceret, ad quod reſarciendum tenentur de ſuo. Obſeruentur igitur inuiolabiliter & executioni debite mandentur omnes & ſingulæ ordinationes & ſtatuta cum fratribus noſtris dominis Canonicis edita & edenda, tam circa chori intereſſentiam, & punctationes q̃ alias circa diuinum cultum quæ in ſuis robore & efficacia plene permanere uolumus. Punctentur quoque qui ad canendum apti, ad lectorile non acceſſerint, uel qui e choro abſque neceſſitate urgente, ante finitum officium diſceſſerint. Choriſtæ etiam ſeu Hebdomadarii, quorum culpa ſcandalum aliquod in choro acciderit, quum tempore debito nõ adfuerint ſibi incumbentia executuri. Quod ſi Punctatores in aliquo præmiſſorum defuerint, ultra periurii pœnam, diſtributiones quotidianas per menſem pro qualibet uice ipſo facto amittant, & nihilominus ad reſidentiam teneantur; per quos etiam ut clarius de eorum fidelitate nobis conſtare poſſit, libros punctationum nobis aut Vicario noſtro præſentari bis in Menſe uolumus, & mandamus Hortamur autem omnes ad reſidentiam obligatos, ut non mercenariorum inſtar, diſtributionum quotidianarum emolumento ſolum allecti, ſed tanq̃ filii Dei qui ſtant in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri, hilares penſum ſeruitutis ſuæ Domino perſoluant. Quia bonum eſt pſallere nomini Altiſſimi, quum alias crimen mentalis ſimoniæ non euadentes, mercedem ſuam reciperent, Deo tamen ultra præmiſſa, de negligentia atque omiſſione, & tepiditate rationem reddituri, quum ſcriptum ſit, Maledictus, qui facit opus Domini negligenter.

## ¶ De obedientia præſtanda magiſtro Ceremoniarum. C. 8.

CVm inter cætera, quæ Dominus populo antiquæ legis eum colenti præcepit, Vnum ſit egregium, ut ſacræ litteræ docent, obſeruantia Ceremoniarum, quam etiam Dominum ipſum frequentius præcepiſſe legimus, quæ ſane cerimoniæ eo ampliore affectu a Nobis obſeruandæ ſunt, quo noſtra ſacrificia, longe his præſtantiora ſunt, quæ a patribus fiebant. Teneantur igitur omnes Magiſtro ceremoniarum pro tempore deputando in Ceremoniis & modulis ſibi oſtẽſis obedire, tam præſentibus Nobis, quam abſentibus, ſuper quibus omnibus debite ſeruandis, aliiſq; ad Diuini offici proſecutionem, ac chori diſciplinam ſpectantibus, Magiſter Ceremoniarũ, uel Magiſter chori facultatẽ habeat omnes in choro admonendi, ſi dicto ſtare noluerint, cum illi onus incũ-

Digitized by Google

bat diligenter hinc inde, nequid inordinate fiat, circumſpiciendi, & dictum Magiſtrum in uirtute ſanctæ obedientiæ coartamus, ad Nobis fideliter refereñ. oium, & ſingulorum quicunq; fuerint inſolentiã.

¶ De officio Sacriſtæ ſeu Theſaurarii. C. 9.

SAcriſta non permittat eccleſiam defraudari debito numero Miſſarum, ſed pro uirili curet, q; omnes ſuas Miſſas, ſuis ſtatutis diebus, & horis, & ad Altaria ſua celebrent, prout in Tabula in Sacriſtia affixa ſuo ordine continetur, negligentes Nobis aut Vicario noſtro denũtiando. Item non permittat, quod Sacerdotes celebraturi plures duobus apparati maneãt pro uice in Sacriſtia, ſed cum opus fuerit, per ſe, uel alium uocet celebraturũ ſacerdotem. Item caueat, quod ſæpius in anno omnia linea paramenta munda fiant, Calices, Patenas, & Corporalia cum pallis & ſuis manutergiis munda, & candida teneat. Omnia Altaria cum ſuis lintheaminibus cooperienda curet, tela uiridi deſuper poſita, & quando celebrañ. erit in aliquo Altari, per clericos deputatos ampullas præparatas cum uino & aqua limpida, & luminaria portari faciat. Nõ permittat laicos, neque pueros aut famulos per æſtatem, aut hiemem ad ignem in Sacriſtia permanere, aut etiam Clericos tumultuando.

¶ De officio eiuſdem in deſignandis Introitibus, Epiſtolis. C. 10.

ORdinamus etiam, ut quotiens communis de ſanctis, uel pro mortuis Miſſa celebrãda ſit, ſemper in Noſtra Cathedrali eccleſia & in cõuentualibus, p Sacriſtam, in aliis per earũdem rectores, Introitus, Epiſtolæ, & Euangelia, & cætera in Miſſa dicẽda perſcribãtur, præter quæ tali die nulli ſacerdoti Introitum, Epiſtolam, uel Euangelium, & alia mutare liceat, nonnulli enim ſcandalizari etiam ex hoc ſolent, quum in uno loco eadem die uarias Epiſtolas ac Euangelia in Miſſis legi audiant. Diſcretus autem ſit Sacriſta, & alius, cui hoc onus incumbet, prout ſibi uidebitur quadrare, Introitus, Epiſtolas, Euangelia, & alia deſignet. Ad hæc memores ſint omnes in ſanctorum ſuffragiis, tam in Veſperis, quam in Matutinis, & in Miſſis, Apoſtolorum commemoratione facta, ſancti Zenonis cõmemorationem faciãt, ut etiã ſupra ſtatuimus.

¶ De præuidendo lectiones in choro legendas. C. 11.

FInitis Veſperis uolumus, q; omnes iuniores capellani, ad quos ſpectat lectiones ad Matutinas in choro dicere, ſtatim conueniant coram illo, qui ad id deputatus fuerit, eoq; præſente, & audiente quilibet legat

Digitized by Google

legat lectiones per ſe mane ſequẽti in eccleſia legendas,& quod ſuperius de lectionibus tantum dictum eſt,illud idem intelligi uolumus de Epiſtolis,Euangeliis,& orationibus,& aliis in Choro decantandis.

¶De officio deputati ſuper lectionibus corrigẽdis. C. 12.

ITem ordinamus,ꝗ nullus in choro corrigat lectiones,niſi is,qui fuerit deputatus,ad cuius mandatum etiam lectiones finiantur.

¶De non ambulando per Eccleſias durante diuino officio. C. 13.

CVm a Domino dictum ſit,domus mea domus orationis uocabitur,deceatꝗ domum Domini ſanctitudo,ut cuius in pace factus eſt locus,eius auditus ſit cum debita ueneratione pacificus,& propterea in eccleſia ceſſare debeant conſabulationes quælibet,quæ diuinum poſſent turbare officium,aut oculos diuinæ maieſtatis offendere,ne ubi peccatorum eſt uenia poſtulanda,ibi peccandi detur occaſio,aut deprehendantur peccata committi,omnes & ſingulas perſonas eccleſiaſticas Monemus,quatenus poſt harum cõſtitutionum publicationem non debeant,aut quouis modo præſumant,uel audeant per Eccleſiam Cathedralem Veroneñ.& alias ſpatiari aut uagari,ſeu ſpatiando,aut uagando ambulare durãtibus Miſſis,aut aliis diuinis officiis,aut prædicationibus,ſeu lectionibus.

¶Quando,& quomodo recedi debeat a Choro. C. 14.

FInita autem pſalmodia redeãt omnes in ſacrarium,aut in aliquem ex prædictis locis,ubi ſacris ueſtibus uel ſuper pellitiis exuti ſine ſtrepitu Templo egrediantur,& ad habitationes ſuas cum debita & matura grauitate in Domino ſe conferant,Qui autem in Eccleſia Cathedrali ſuper pellitium ſe exuerit,aut in ordine non ſteterit,uel quum ad ſacrarium reuertuntur,uel quum ad Altare Virginis pro cantando Alma,ſeu Salue,ſeu Regina Cœli proceſſionaliter iuxta morem accedunt,pro qualibet uice in.xx.ſold.Veroneñ.condemnetur.

¶Super eodem. C. 15.

CVmꝗ ſecundum ſanctorum Patrum Decreta iſtud ſemper obſeruare placuerit,ut omnibus diebus & poſt matutinas & Veſperas oratio dominica a ſacerdote proferatur,Volumus & ſtatuimus,ꝗ nullus dicto Salue,ſeu alia Antiphona pro Virgine,ſurgat,uel diſcedat de



Digitized by Google

Choro,niſi dicto ſubmiſſa uoce uno Pater Noſter. Aduertat autẽ,unuſquiſque, ꝙ cum flectere genua uoluerit, non recedat a loco, in quo aliis ſtabat,uel ſtare ſolebat.

### De geſtando ſuperpellitio ſeu Cotta. C. 16.

CVm Clericus primo inſtituatur per Cottæ impoſitionem, Nullus clericus,cuiuſcunque ordinis,uel gradus exiſtat, maxime ſæcularis qui ex debito obligatus exiſtit, aut uocatus fuerit ad intereſſendum Diuinis,& celebrãdum illa,ſiue in funeralibus,ſiue in feſtiuis,tam in ſancta congregatione cleri intrinſeci Veroneñ.q̃ in aliis eccleſiis debeat illis intereſſe,aut illa celebrare ſine Cotta, ne forte uideatur laicus diuina officia in Eccleſia miniſtrare.

### De uexillo ſanctiſſ. Crucis non deferendo ad proceſſionem ſeu funera per laicos,& uiles perſonas. C. 17.

ABuſus quorundam tam regularium, quam ſæcularium ſacerdotum,qui ad ſupplicationes, & funera ſanctiſſimæ Crucis uexillum per perſonas habitu laicali, eoq; uili & ſordido indutas ante ſe deferri facere non erubeſcunt in dedecus miniſterii clericalis,Nuper Nos excitauit ad huius abuſus deformitatem tollẽdum,& ut ſignum uiuificæ crucis, in qua nos docet Apoſtolus gloriari,congrue deferatur, prouidendum.Quo circa Mandauimus,ut omnes Archipresbyteri, & Rectores quarumcunque Parochialium eccleſiarum Ciuitatis & Dioc.Noſtræ, ac Capellani, & eorum locatenentes, in Proceſſionibus & mortuorum exequiis incedentes,Crucem per clericum ueſtibus clericalibus & ſuperpellitio indutum deferri faciant, quum alias in Sacerdotali miniſterio uexillum ordinis clericalis per alium deferri minime congruat, qui non ſit in militiæ & habitus identitatem aſſumptus,Quam conſtitutionem pro firmiori mentis noſtræ argumẽto,& eius uiridiori obſeruantia hic repetere & inſerere uoluimus,& eam ſic repetitam & inſertam,ab omnibus & ſingulis ſupradictis inuiolabiliter obſeruari mandamus.

### Ex prohibitis clericali ſtatui quædã enumerãtur. C. 18.

PRohibitiones ſacrorum Canonum recenſentes intimamus ciuitatis & Dioc.noſtræ Veroñ.clericis beneficiatis,ne ipſorũ quiſpiam in Palatio communis Veronæ aut alia curia ſæculari aduocare ullo pacto debeat, aut procurator eſſe alicuius Vniuerſitatis, Communitatis,ſeu alicuius ſingularis perſonæ,nec officium publicum ibi exercere niſi forte aduocaret pro ſuo proprio facto, aut eccleſiarum ſuarum

Digitized by Google

uel pro miſerabilibus perſonis, Clerici non canes, aut equos, aut aues alant ad uenandum, aut aucupandum, nec tabellionis officium exerceant. Nec laicorum etiam Comitum, Ducum, Marchionũ, negotiorum geſtores ſint, non ſæcularium rerum, aut uillarum firmarii, aut conductores ſint, uocationis ſuæ memores, nullius generis negotiationẽ exerceant, contractus non ineant, non emant, non uendant, non permutent mercaturam exercendo. His enim rebus intenti, mendaciis, rixis, clamoribus, omnia fora replent, raro miſſas, rarius officium celebrant, Dei cultum paruifaciunt, horum oratio, & ſupplicatio a Deo aurum quærit, horum mens cupiditatis uinculis aſtricta, ſemper aurum, ſemper argentum uidet, ſemper redditus computat, gratius aurum, quam ſolẽ intuetur, uſurarias & ſimulatas conuentiones non ineant. Quod ſi quis in cõtractu uſurario, aut ſimulato aut in fraudem uſurarum confecto, aut alias illicito cõuictus fuerit, præter reſtitutionem, ad quam de iure tenetur, pro prima uice in Duc. XX. puniatur. quod ſi ſemel conuictus iterum conuincantur, ad beneficiorum priuationem, & ab officio ſuſpenſionem contra talem procedetur, in aliis contumaces Noſtro arbitrio puniendos reſeruamus.

## Quod celebrãtes Miſſas debeãt cõfiteri, & quãdo. C. 19.

QVoniam Sacerdotes illi miſeri, qui manibus pollutis, oculis impudicis, ore uenenato, corde impuro, nunq̃ caſti, ſemper inceſti ad Altare accedunt celebraturi, Chriſtum iterum, quantum in ſe eſt, crucifigunt, angelos aſſiſtentes offendũt & de ſingulari medicina ſibi miſerabiliter æternam damnationem acquirũt. ideo monemus omnes clericos celebrantes, ut ſingula hebdomada ſemel ſaltem ſua peccata deuote confiteantur, quod & ſæpius unusquiſque facere debet, cum ſepties in die cadat Iuſtus; & quotienſcunque ſe in mortali peccato conſtitutum ſenſerit, cuius conſcientia leſus, non celebret potius, non habita copia ſacerdotis niſi forte cauſa urgens, & neceſſitas immineat, quæ niſi graui cum ſcandalo nequeat præteriri, & tunc adſit contritio, & propoſitum confitendi. Non ſacerdotes uero ter ad minus in anno temporibus a Canone deſignatis confiteantur, & Euchariſtiam ſumant.

## Pœna negligentium confiteri. C. 20.

POrro Clericum celebrantem, qui per ſex menſes, non celebrantem autem, qui per annum confiteri diſtulerit, beneficiorum redditibus per annum, & ſi biẽnio a tam ſalubri ſacramento abſtinuerit, beneficiis ipſo iure priuetur, nõ beneficiati autem, carceri ad tempus pro arbitrio Noſtro, aut Vicarii noſtri moderatione mancipentur, In confeſſionibus



Digitized by Google

autem faciendis, ut omnem prorſus ſcrupulum & periculum, propter multorum in eligendis confeſſoribus inconſiderationem remoueamus, conſtitutionem ſuper hoc a Nobis præteritis annis editam innouantes, præſenti ſalutari ſtatuto concedimus, & indulgemus uniuerſis & ſingulis ſacerdotibus tam Cathedralis noſtræ eccleſiæ, quam aliarum licentiam & facultatem eligendi ſibi ex eorum numero, quos Nos iam ad id muneris aptos & idoneos approbauimus, quemcunque maluerint, confeſſorem etiam non curatum, quotienſcunque confiteri uoluerint. Non poterunt tamen ſic electi confeſſores a caſibus Nobis ſpecialiter reſeruatis abſoluere, niſi ſpeciali Noſtra ſeu Vicarii licentia petita, & obtenta. Hoc inſuper addentes, ut Clerici omnes in Paſcate ſaltem, illi presbytero in cuius parochia manent, præſentare ſe debeant.

### ¶ Adhortatio ſuper electione Confeſſorum. C. 21.

MOnemus tamen ut in eligendo confeſſore talem diligētiam adhibeant ad curandas animas ſuas, qualem, ſi ualetudinarii eſſent, in eligendis ad corporū curam medicis adhiberēt, immo maiorem, cū anima longe præcioſior ſit corpore, & ubi periculum maius intenditur, ibi proculdubio ſit plenius cōſulendum, nec ullo pacto ſine delectu confeſſoris non idonei, & per Nos non approbati iudicio animas ſuas cōmittant, ne ſic fortaſſe, quum cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueā cadant, eis etiam, qui inter lepram, & lepram diſcernere, & more periti medici uinum, & oleum uulneribus ſauciati ſuper infundere neſciunt, in uirtute ſanctæ obedientiæ diſtrictæ præcipimus, ut quid humeri ſui ferre ualeant, quidue recuſent, & quemadmodum animarum cura Ars artium ſit, prius attendentes, in perditionem animarum ſuarū tanto oneri nequaq̄ ſe ingerāt, ſi diuinam uoluerint effugere ultionem, Cum non ſit ſine culpa, qui rei cui impar eſt, ſe immiſcuerit.

### ¶ De faciendo unam generalem confeſſionē. C. 22.

QVumq; bonarum mentium ſit, ibi timere culpam, etiam ubi culpa minime reperiatur, ſalubrius & rectius animabus ſuis conſulent ſacerdotes, ſi tutiorem uiam eligendo, poſt huius conceſſionis intimationem matura delictorum ſuorum cum amaritudine recognitione præmiſſa, idoneo ſacerdoti per ſe electo generalem unam confeſſionem fecerint, ſic enim eorum obſequiū altiſſimo famulando magis placebit, & eorum preces facilius exaudientur.

### ¶ De Hoſtiis & uino præparando. C. 23.

HOſtias de mundiſſimo flore farinæ nihil aliud in eis immiſcendo, ipſimet ſacerdotes faciant, ac eas ſæpe renouent, prout uiderint ex-

Digitized by Google

pedire,& in ſacrario ſemper ſint præparatæ, ſine quibus ſacerdotes ad Altaria non accedant, ne poſtea cum deuentum fuerit ad offertorium, & hoſtiis deficientibus cogantur cum aliquali populi ſcandalo exſpectare, quod hoſtiæ perferantur, idem dicimus de uino & aqua, ꝙ ſemper ſuas ampullas præparauerit ſacerdos, Vinum autem ſit purum non agreſtum, aut acetum, & tam uinum, quam aquam ſemper de recenti habeant, cum Miſſam celebrare debuerint.

## De Birreto ſuper Altari non ponendo. C. 24.

ET ut in omnibus debita Deo reuerentia præſtetur: Renouamus edictum illud al's per Vicarium noſtrum factū, ut in Dioc. noſtra nullus clericus, aut ſacerdos celebrando, aut non celebrando, birretū ſuum ſuper altare ponere audeat, cum indecens ſit minorem al's reuerentiam exhiberi menſæ immortalis Dei, ubi immaculati agni hoſtia patri ſummo offertur, q̄ mortalis homunculi menſæ exhiberetur, Talia enim laicorum animos ad maiorem Dei cultum cum tremore excitare ſolent. Debet igitur unuſquiſq; Rector, uel Sacriſta ad ſingula Altaria aliquid uel ligni, uel ferri affigere, quo commodius Birretum ſuum ſacerdos celebraturus apponat.

## Vt ad miſſam duæ ſaltem candelæ accenſæ ſint. C. 25.

QVum ſcriptum reperiatur, ignis in Altari meo ſemper ardebit, ut maiore fide & deuotione, a fidelibus iuſtitiæ ſol qui eſt Chriſtus Deus noſter, cādor lucis eternæ, ueneretur. Prohibemus ne quis celebrare audeat, niſi cum duabus candelis accenſis, quæ accenſæ teneantur uſque poſt Ite miſſa eſt, & benedicto populo, & ad omnem auaritiæ notam, qua ſacerdotes inuri ſolent, euitandam, ſtatuendo. Prohibemus, ne in Miſſarum cæterorumq; diuinorum officiorum celebratione, candelarum fruſtis minoribus quatuor digitis, Dupleriis, uel Intortitiis palmo uno breuioribus utantur.

## Vt paramenta ſint munda, & ne celebretur cum uino nigro aut calicibus fractis, uel rubiginoſis, & de lauandis calicibus, & inſpiciēdis corporalibus. C. 26.

VT per ⟨e⟩xterni candoris ſpeciem interior ſacerdotum mūditia denotetur. Hortamur & Nos, ſicut & ſapiens hortatur omni tempore ſint ueſtimenta tua candida, ut ſacerdotes omnes ſuperpellitiis amictibus albis, Cingulis, Manipulis, Stolis, Planetis, Dalmaticis, ſeu tunicellis, Pluuialibus, & omnibus aliis ad diuinum cultū neceſſariis ueſti-

Digitized by Google

bus,& paramentis,candidis,& mundis, & integris,non autem laceratis utantur. Nemo celebret cum uino nigro ſeu rubro,propter corporalia, & purificatoria,quæ ex nonnullorum ſacerdotum negligentia & incuria aliquando adeo ſordida inueniuntur, ut aliquibus horrori ſint, & nauſeam celebranti facile commouere poſſint. Et nimis abſurdum uidetur in ſacris ſordes negligere,quæ dedecét in prophanis. Nemo igitur corporalibus,aut purificatoriis immundis,aut ſine debito Toballearũ numero temere celebret, aut cum calice fracto aut rubigine cõſumpto, ſordido,ligneoue,aut ex alia materia per ſacros Canones prohibita. Calices inſuper ſacerdotes ſaltẽ ſemel in hebdomada lauent, & illã aquam in piſcina ponant. Corporalia quoq; ſæpe diligenter inſpiciant, ſi adſint reliquiæ aut fragmenta aliqua,quæ omnia cũ maturitate tractent.

## Vt ſacræ ueſtes diſtinctæ ſint coloribus ſecundum dierum proprietates. C. 27.

ET quoniam ſecũdum dierum proprietates Romana eccleſia ſacras ueſtes diſtinguit, Iccirco omnes illi animaduerſione digna punientur,qui eccleſiis ſuis de omnibus illis paramentis quæ in uiſitatione facienda iuſſimus,hactenus non prouiderint, ſtudeátq; omnes ſacerdotes paramenta uniformia habere,nõ autem manipulum unius coloris,ſtolam alterius,planetam diuerſi coloris, Amictum etiam ſeparati coloris, ſicut in legalibus indumentis quatuor fuiſſe colores leguntur,ita hodie quatuor ſunt principales colores, quibus ſecundum dierum proprietates,ſacræ ueſtes ſunt in uſu habendæ,ut latius in ordine Miſſæ,quẽ pro ſacerdotum commodo imprimendum curauimus,explicatur.

## Vt quilibet beneficiatus habeat ſibi inſeruientem in altaris miniſterio. C. 28.

PInguia beneficia poſſidentes,ſumptibus propriis, tenuia uero, litteras docendo,tam ex iuris cõmunis diſpoſitione,quam ex apoſtolicis facultatibus Nobis circa hoc conceſſis aſtringimus ad habendum clericum ſaltem unum in habitu clericali incedentem, qui ſibi in diuinis miniſtret, cum cotta munda, tonſura & clerica. Q uum abſurdum uideatur in altaris miniſterio ſeruire,aut uxoratos, aut pueros pãnoſos inciuiles ſine caligis & calciamentis, Q ui autem permiſerit per mulierem quamuis annóſam,aut puerum cum birreto duarum plicarũ, & capino ſine cotta,aut hominem uxoratum in altaris miniſterio ſibi deſeruire grauiter pro arbitrio noſtro punietur.

## Ne filii Presbyterorum inſeruiant miniſterio altaris, ubi pater

eſt beneficiatus,uel celebrat. C. 29.

OVum ualde indecorum ſit & ſcandaloſum,ut meretricis filius im pudico patri,in paternæ incontinentiæ teſtimoniũ in Altaris officio miniſtret,in quo Dei,& Virginis unigenitus pro humani generis ſalute eterno patri offertur immolatus, Statuimus ſacrorum Canonum ueſtigiis inſiſtentes, quod tales illegitime nati nequaquam patri,neque cuique alteri in Eccleſia, in qua pater ſacerdos, ſeu beneficiatus eſt,in altari miniſtrare permittantur.

¶Ne concubinarii permittantur celebrare. C. 30.

PRohibemus etiam uniuerſis eccleſiarum Rectoribus,& eius locatenẽ.ne permittant clericos concubinarios,& ſacerdotes de concubinatu ſuſpectos,ſi qui forte reperiantur,in eccleſiis ſuis ullo pacto celebrare,aut officiare,Tales enim celebrant in animarum ſuarum damnationem,& præiudicium animarum illorum,qui faciunt,& patiũtur eos celebrare,ſi quis enim eos admittere noluerit,ſaltem de facto rubore ſuffuſi ad bene uiuendum cõpellentur,& fames forte reducet eos ad Deum, ſicut prodigum filium.

¶Vt miſſa deuote celebretur,& præuideatur. C. 31.

NOnnullorum Clericorum abuſus conſtitutioni huic cauſam dedit,qui tanta indeuotione Miſſas celebrant,ut accedentes ad Altare,ſimiarum ioculatorumq; ſpetiem potius præferre uideantur, non conſiderantes præsbyterum qui in Altaris miniſterio celebrat,ne minimum quidẽ motũ facere, in quo profundũ non lateat Myſteriũ,ad hoc Miſſam ita ex abrupro & impremeditate & quaſi certatim auſpicantur, ut tum irreuerentia,tum erroribus,quos impræuiſa legendo cõmittũt, populo diuina myſteria cõtemptibilia reddant, ſintq; magno deuotis mẽtibus ſcãdalo. Iccirco ad talem tollendũ abuſum in uirtute ſanctæ obedientiæ,omnibus Ciuitatis & Dioc.Noſtræ ſacerdotibus præcipimus, ut celebraturi Miſſam prius priuate perlegant, & percurrant,ut de his, de quibus aut in conſtructione,aut prolatione dubitant,peritiores conſulendi copiam habeant, ſuiſq; adnotent ſignis, priuſq; ad altare accedant,ad quod poſtq̃ acceſſerunt,non prius confeſſionem incipiant, quã ante illud genua deuote flexerint. Poſtea uero ea,qua decet, reuerentia,a principio uſque ad finem ſacra myſteria peragant,Lectiones, Epiſtolas, & Euangelia,& ſpecialiter ſecreta,& præcipue conſecrationis uerba integre & diſtincte dicendo,gratias Deo agentes,quod ſibi liceat,dum celebrant,Chriſtum uidere,in orationibus alloqui, loquentem in Euan-

Digitized by Google

gelio audire, dum leuant, & ſpeties frangunt, tangere, dũ Adorant, oſculari, dum ſumunt, amplecti. Ad que omnia, ut facilius inuitentur, omnibus Miſſam, anteꝗ accedant ad Altare, ut præmittitur legentibus, & cũ præmiſſa reuerentia celebrantibus, xl. dierum remiſſionem de iniunctis pœnitentiis concedimus.

¶ Vt omnes celebrent conformiter, prout habetur in ordinario. C. 32.

CVm Dei auxilio ſemper omnem facientes prouidentiam, ut ſacerdotes ab eius Clementia curæ Noſtræ traditi, debitis cerimoniis Diuina officia perſoluant, ut poſt hac idem ab omnibus in celebrando ſtilus & ritus ſeruetur, & ne de cætero tam in agendo, quam in dicendis errent incaute, Volumus ut apud ſe omnes habeant ordinarium Miſſæ ſecundum ritum Romanæ eccleſiæ pro ſacerdotum informatione traditum, & cura Noſtra in illam commodam formam digeſtum, & materna lingua impreſſum, & illud in omnibus ſeruare teneantur, ut ſic omnes ſaltem in Ciuitate & Dioc. Noſtra in celebrando cõformes ſint, Solet enim ſacerdotum in celebrando diformitas, apud pias mentes grauia aliquando ſcandala generare. Intimantes etiam omnibus & ſingulis de cætero ordinandis ad ſacerdotium, ꝙ ſi ultra ea, in quibus examinati fuerint, in prædicto ordinario familiaritatẽ minime habuerint, rubricas & modulos illos memoriter tenendo, non ordinabuntur.

¶ De Abluendis manibus Sacerdotũ tam ante ꝗ poſt ſacrificium & de labello & aqua in Sacrario. C. 33.

LAuamini, Mundi eſtote, Admonet propheta, utcꝫ per mundiciã corporis ad mentis munditiam inuitemur, Nullus ad miniſtrãdum in Altaris miniſterio accedat, niſi prius manus decenter abluerit, quod a nonnullis ſordidis intelleximus negligenter omitti. Mandamus proptere a ut in quolibet ſacrario adſit Labellũ cũ aqua & manutergio, quod mundum teneatur, & ſæpius immutetur. Laudamus quocꝫ plurimum inſtitutum illud, ut ſacerdotes peractis ſolennibus ad ſæcularia negocia diuertentes, ob reuerentiam ſacrorum quæ tractarint, manus ſimiliter abluant. Memores quoque ꝙ huiuſmodi ſacra illotis manibus tractare, ſemper plurimum dedecere.

¶ Quod die Sabbati celebretur Miſſa beatæ Virginis. C. 34.

CVm uirgo Maria immaculata Dei genitrix ſola, atque unica ad fidelium ſalutem ſit peruigil oratrix, & ſedula apud ſaluatorem noſtrum

ſtrum

ſtrum, quem ipſa genuit, dignum propterea, quin etiam debitum putamus, & ita Hortamur, ut in omnibus eccleſiis Ciuitatis & Dioc. Noſtræ Veroneñ. in qualibet die Sabbati Miſſa de beata Virgine celebretur, niſi feſtum occurrat, aut dies habẽs miſſam de proprio, uel aliter ab uniuerſali Eccleſia fuerit ordinatum, quo caſu fiat ſola cõmemoratio de beata Virgine, ſi diei ſolennitas patiatur.

### ¶ De Miſſa beatæ Virginis quæ ſingulis diebus in Cathedrali Eccleſia cantatur. C. 35.

CVpientes & pro decentia diuini cultus, & ut deuotioni ſatisfiat cõplurium fidelium, ac etiam ut decreta ſanctorum canonum obſeruentur, maxime in Cathedrali eccleſia, præſertimq; in Miſſæ illius celebratione, quæ in honorem Virginis Mariæ ſingulis diebus in capella eiuſdem beatiſſimæ Virginis in dicta Eccleſia ſummo mane cantari cõſueuit. Ordinamus & diſponimus, quod Accoliti prædictæ eccleſiæ ſingulo die ea hora, in dicta Cathedrali Eccleſia ſe præſentent deuote, ac decenter, ſuper pellitiis induti, & pro decentia diuini cultus, ac pro fouenda fidelium deuotione, a decantatione ſanctus in præfatione uſq; ad Agnus dei ſtent ipſi Accoliti ſic induti genuflexi, ordinati ſuper gradibus præsbyterii, præcipientes ut circa celebrationem & decantationem tam prædictæ, q̃ aliarum quarumcunq; miſſarum ſeruetur diſpoſitio ſacrorũ Canonũ cõcilii Maguntineñ. & aliorũ hac de re diſponẽtiũ.

### ¶ Ne celebretur in domibus priuatis, etiam ſub prætextu maritorum uel conſanguineorum & defunctorum luctus. C. 36.

QVum tam diuina, q̃ Canonica edoceant inſtituta, q̃ munda q̃q; honeſta debeant eſſe loca, ubi glorioſiſſimum illud Euchariſtiæ ſacramentum conficitur, Ne igitur paſſim in domibus priuatis, & in locis prophanis, In cameris ubi dormitur, matrimonialia exercentur, luditur, aliaq; corporis neceſſaria peraguntur, celebretur. Cum ſcriptum ſit, uide, ne offeras holocauſta in omni loco. Omnibus & ſingulis tam ſæcularibus, q̃ regularibus ordinis cuiuſcunq; præcipimus & mandamus, Ne ulterius celebrent Miſſas in locis non Deo ſacratis, ſine ſpeciali Noſtra licentia, quam omnino requiri uolumus, etiam ſi illi, apud quos celebraturi ſunt, ſpetialia ſedis Apoſtolicæ indulta habuerint, quũ ad ea moderanda & reformanda ſufficiens a ſede prædicta nobis ut infra patebit ſit attributa facultas. Et ut ſacerdotes facilius reſpondere poſſint importunis, ſub luctus uel alterius occaſionis prætextu celebrari facere in domibus prophanis adhuc inſtantibus, eoſq; doceant, quid in huiuſmodi agere debeant, nonnulla ex illis, quæ ſancti uiri in hanc



Digitized by Google

materiam ſcripſerint, placuit hic aſcribere, eorum uerba recitando.

BAſilius Magnus in regulis ſuis breuioribus, interrogationi CCCX. quæ eſt. Nunquid in cõmuni domo Dominica cœna debeat celebrari? reſpondendo ita ſcribit. Quemadmodum Ratio non permittit, ut uas ullum commune in Sancta introferatur, eodem modo etiam uetat Sancta in domo cõmuni celebrari, cum ex iuſſu Dei in ueteri teſtamento nihil iſto modo fieri permittatur, cum autem dominus dicat, pluſq̃ templum eſt hic, & Apoſtolus Item Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Quid dicam uobis? Laudabo uos in hoc? Non laudo, Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi uobis, & quæ ſequuntur, ſane admonemur, non debere Nos neq; communem cœnam in Eccleſia manducare aut bibere, neq; dominicam in priuata domo in contumelia habere, extra quam, ſi quis, cum neceſſitas poſcat, locum, ædemue elegantiorem deligat in tempore opportuno.

IDem quoq; ſanctus auctor, in eo, quem facit de baptiſmo tractatu, dum oſtendit, quantum ad bene agendum domini præceptum circunſtantia loci opportuna & neceſſaria ſit, pulcherrimis dictis atque rationibus docet, hoc tam nobile ſacrificium non poſſe extra ædes ſacras & loca domino Deo dicata offerri ſine periculo damnationis.

SAnctus etiam Antoninus in ſua magna ſumma. par. 2. titulo. ix. c. x. §. ii. ſic dicit. Quod uiduæ aliquibus diebus uel Hebdomadis in morte uirorum maneant domi in ſignum triſtitiæ, unde & miſſam non audiunt, uidetur tolerandum, ſi eſt de more patriæ; ſed q̃ maneant per integrum annum, uel per ſex menſes, excuſari non poſſunt, quia magna abuſio eſt. Maria Magdalena & Martha, quæ nobiles erant, & diuites, cum eſſent in domo uiſitatæ a pluribus ad conſolandum pro morte Germani earum Lazari, Audito q̃ Ieſus adueniſſet, exierũt domum, ut irent ad eum, & Ieſus quidem tunc mortalis erat, nunc idem ipſe in ſacramento Altaris eſt & immortalis. Vnde cum magno affectu accedendum eſt ad ipſum. ſ. audiendo miſſam.

COnſulto ſilentio præterimus tot decreta patrum, quibus iſtud cauetur uno tñ, & altero contenti. De Conſe. diſt. prima. in. c. Sicut. ſic ſcriptum reperitur. Sicut non alii, q̃ ſacrati Deo ſacerdotes debent miſſas celebrare, nec ſacrificia ſuper Altare offerre, ſic non in aliis, quam in Domino conſecratis locis, ideſt in tabernaculis diuinis precibus a põtificibus delibutis, miſſas cantare, aut ſacrificia offerre licet, niſi ſumma coegerit neceſſitas. Satius eſt ergo miſſam non cantare aut non audire, quam in his locis, ubi fieri non oportet, niſi pro ſumma neceſſitate contingat, qm̃ neceſſitas legem non habet. unde ſcriptum eſt, uide ne offeras holocauſta tua in omni loco, quem uideris, ſed in omni loco, quem elegerit dominus Deus tuus. in domibus tamen ab epiſcopis, ſiue præsbyteris oblationes celebrari nullatenus licet, Item in c. Nullus ea.

Digitized by Google

diſt. Nullus præſbyter miſſas celebrare præſumat, niſi in Conſecratis ab Epiſcopo locis, qui ſui particeps de cætero uoluerit eſſe ſacerdotii.

PRæterea quid mirum, ſi in priuatis ædibus celebrandi licentia limitetur, ſi in illis uerisimiliter plerunq; ea perpetrantur, ob quæ Eccleſiæ ipſæ ac loca deo ſacrata, ſi publice contigerint, reconciliatione indigent, anteq̃ quidem reconciliationem inibi celebrari licet. Diſcant igitur omnes humiliter parendo magis mereri, quam ambitioſe quæ non cõueniunt, quærendo, etiã ſi ex importunitate concedatur, demereri.

Oraculum uiuæ uocis ſuper moderatione ac reformatione confeſſionalium. &c.

Nos Marcellus &c.

NOS MARCELLVS CERVINVS Miſeratione diuina tituli ſanctæ crucis in Hieruſalem, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis. Fidem facimus, & atteſtamur ꝙ ſanctiſſimus in Chriſto Pater & dominus noſter dominus Paulus diuina prouidentia Papa tertius, cupiens ſaluti animarum, ut bonum decet paſtorem, quantũ cum Deo poteſt ſalubriter prouidere, ac ex certis rationabilibus cauſis animum Sanctitatis ſuæ mouentibus, Viuæ uocis oraculo ſuper hoc nobis facto, uoluit & decreuit, ꝙ miſſæ priuatæ quæ in Ciuitate & dioceſi Veronẽ. uigore confeſſionalium apoſtolicorum in dies celebrari contingeret, ad arbitrium Venerabilis etiam in Chriſto patris domini Ioannis Mathei Giberti Dei gratia Epiſcopi Veronẽ. cuius fides & erga diuinum cultum ſolertia, & ſtudium eidem ſanctitati ſuæ iampridem nota ſunt, prout ſecundum Deum ſaluti animarum ſibi magis uiſum fuerit expedire, moderentur & reformentur, Inobedientes per cenſuras Eccleſiaſticas & alia iuris opportuna remedia compeſcendo. IN QVORVM fidem præſentes manu noſtra ſubſcriptas fieri, & ſigilli noſtri quo in ſimilibus utimur appenſione communiri mandauimus. Dat. Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, die prima menſis Martii. M D XLII. Pontificatus prælibati ſanctiſſimi domini noſtri Papæ Anno Octauo.

M. Car. S. Crucis in Hieruſalem.

¶ Quod Religioſi non celebrent extra eccleſias ſuas, & de diligentia in delectu mittendorum. C. 37.

PRæcipimus in uirtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis poena, ꝙ nullus Religioſus cuiuſcunq; ordinis, ſtatus & condi-



Digitized by Google

tionis exiſtat, Audeat, aut præſumat celebrare in aliquo loco extra eorum Eccleſias, & Monaſteria ſine expreſſa Noſtra, aut Noſtri Vicarii licentia. Admonentes omnes Priores & Guardianos, ac Monaſteriorum prælatos, quatenus in termino XV. dierum ab harum conſtitutionum publicatione debeant denuntiaſſe apud officium, loca & eccleſias, ac hoſpitalia, in quibus ex antiqua locorum conſuetudine ſoliti ſunt celebrare ſub eadem pœna. Prælati autem ipſi in primis diligenter conſiderent, quos extra monaſteria ſua mittant, & cum quibus aſſociatos. quum pleruncp hinc capta ſit occaſio per nonnullos animarum ſuarum prodigos plurima ſcelera perpetrandi, per quæ poſtea cum graui Dei offenſa & plurimorum ſcandalo monaſteriis ipſis infamia eſt irrogata.

C A quibus abſtinere debeant quoquomodo celebrantes extra proprias Eccleſias. C. 38.

STatuimus, ꝙ nullus ſacerdos celebrãs in Oratoriis priuatis, aut publicis intra limites parochiæ alienæ, Audeat pulſare campanas pro populo adunando, colligere oblationes, conferre ſacramenta, aut quicꝗ aliud facere in parochialis eccleſiæ præiudicium, niſi ſpeciali aliquo iure muniantur, ſecus facientes pro qualibet uice in libris. x. condẽnamus, & ad reſtitutionem emolumenti inde percepti rectori parochiali faciendam teneri uolumus.

C Quod in eccleſiis Monialium præter ad id deputatos nullus celebret. C. 39.

IN generali conceſſione emanata ex officio noſtro, ꝙ aliquis Sacerdos celebrare poſſit in Ciuitate & Dioc. noſtra, ſemper eccleſias ſororum & Monialium exceptas eſſe uolumus: in quibus nullus ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ, ſub prætextu uoti alicuius, uel alterius deuotionis celebrare audeat, niſi a Nobis, aut Vicario noſtro ſpetialem circa hoc obtinuerit licentiã etiam ꝙ generaliter ſibi conceſſum fuiſſet, ꝙ in Ciuitate & Dioc, Veroneñ. celebrare poſſet. Nullus ergo cõfeſſor, aut Capellanus alicuius Monaſterii aut aliqua Abbatiſſa, Priorisſa, ſeu Monialis ſint adeo temerarii, ꝙ admittant aliquem ſacerdotem ad celebrandũ in ſuis eccleſiis, niſi prius oſtenſa licentia in ſcriptis circa hoc ſpecialiter cõceſſa. alioquin pro temeritate ſua cæteris exẽplo erũt.

C De confeſſoribus & capellanis Monialium. C. 40.

QVum autem in eccleſiis ſororum ſeu Monialium Miſſæ uel alia diuina officia celebranda erũt, ſiue in Eccleſiarum ipſarum feſtis,

Digitized by Google

ſine aliis ferialibus diebus, ut ſeruari poſſit Miſſarum in prædictis eccleſiis celebrandarum tam numerus, quam ordo, quem Nos nuper præfigere coacti ſumus, Cupientes ſcandala, & uexationes, ac plurimorū malorum occaſiones a dictis locis Chriſti ſponſarum arcere, Non poſſint confeſſores & capellani ſibi ad inuicem deſeruire, quotiens eos uocari cō tingerit, niſi habita a Nobis prius ſuper hoc licentia ſpeciali. Qui omnes miſſarum, & aliorum Diuinorum celebrationibus peractis, ſine aliquo colloquio habito cum aliqua ex Monialibus, ſine tumultu, & ſtrepitu ad propria domicilia reuertantur. Qui contrafecerit, pœnam ſupradictam ipſo facto incurrat.

## Quod diebus feſtiuis propriæ Eccleſiæ a Sacerdotibus non deſerantur ſine Miſſis. C. 41.

QVum aliquando Sacerdotes quoſdam Dioc. Noſtræ proprias eccleſias deſerentes feſtiuis diebus, quibus Miſſa eſt de præcepto, ad alias ſeſe eccleſias ut earum feſta honorent, celebrandi cauſa conferre ſolere intellexerimus, Nos præfatam conſuetudinem utpote animabus pernicioſam tollere intendentes, præcipimus omnibus Eccleſiarum rectoribus, & uicerectoribus, & capellanis, ne dominicis aut aliis feſtiuis diebus eccleſias ſibi commiſſas, ſine Miſſa ullo pacto relinquāt, ſub hoc uel alio prætextu, niſi acceſſerint ad Plebem, uel aliquam eccleſiam non diſtantem, ultra unum miliare, & non habentem flumen in medio, Ita ut ueriſimiliter populus ſuus ad Eccleſiam honoratam, uel aliam uicinam accedere, inibiq; Miſſam audire poſſint, & hoc quandocunque facturi ſint Sacerdotes, teneātur prius populo notificare, quemadmodum eo die ad talem locum celebraturi, Deo dante ſunt acceſſuri.

## De una Miſſa diluculo dicenda, & qua hora feſtiuis diebus ſit celebrandum, & ubi plures ſunt Miſſæ, quo interuallo dicendæ. C. 42.

VT hominum deuotio magis foueatur, & qui religioſi ſunt, de uirtute in uirtutem eant. Statuimus, ꝙ in omnibus illis locis, in quibus ordinarie ſunt plures Miſſæ pro cōmoditate hominum, una ſemper in ferialibus diebus in diei crepuſculo celebretur; ut qui poſtea ituri ſunt ad labores ſuos, poſſint, ſi uoluerint eo cibo animos ſuos paſcere, quo quidem tota die illa ſaturati, quicquid agant ſine offenſa domini agere ualeant. Et tali bono fundamento iacto, ea tantum operētur, quæ Deo grata, & animarum ſuarum ſaluti utilia ſint futura, feſtiuis uero diebus Sacerdotes uigilent, ut eo tempore celebrent, quo omnes facile ad eccleſiam conuenturi commode uenire poſſint, quod erit hora tertiarum, uel

parum ante, uel parum poſt, & ita qui laborauerunt, murmurandi occa ſionem non habebunt, quod reſpectu nobilium, & ciuium, cæteri homines nimium grauentur: Ea autem ſemper cōſideratio habeatur, ut ubi duæ ſeu plures ſint miſſæ, una ita cum interuallo ab aliá dicatur; ut uniuerſus populus uériſimiliter Miſſam audire poſſit, habita ſcilicet ratione eorum, qui domi relinquuntur, ut commode poſſint primis domum reuertentibus, & ipſi ad miſſam uenire.

## ¶ Ne celebretur in Oratoriis, & locis fraternitatum, dum celebratur in eccleſia principali. C. 44.

QVum dominicis, & feſtiuis diebus teneatur parochianus in propria parochia miſſam audire, grauiterque peccet, qui proprio contempto præsbytero, alio ſe confert, Dānamus abuſum illum apud iſtas laicorum fraternitates, ut in illis feſtiuis diebus cōuenientes relictis principalioribus eccleſiis ea hora, qua in illis Miſſa cantatur, ipſi & ſua aperiant oratoria, cantentque ſua populo officia, ita ut eccleſiæ populi multitudo ſubtrahatur, quum enim curatos ipſos Euāgelium, Antoninam, & alia ad animarum ſalutem neceſſaria populo explanare oporteat, feſta & ieiunia indicendo &c. ut infra Mandamus, laici parū religioſi, qui ſuper Dei uerbo, quod eſt animæ cibus, nauſeant, libentius ad huiuſmodi loca, in quibus hæc omittuntur, potius pro cerimonia quadā, quam pro uero dei cultu accedunt. Volētes igitur huic morbo occurrere, Præcipimus huiuſmodi fraternitatum gubernatoribus, ſindicis, & capellanis, ne dum principalis Miſſa in Eccleſia, in cuius parochia uel ambitu eſt dictarum fraternitatū oratorium, legitur, aut cantatur, ipſi audeant Miſſam, aut aliquod officium cantare, aut cantari, uel aliter celebrari facere, quinimmo fraternitatum prædictarum capellani una cum curato in decenti honeſtaque ueſte, eccleſiaſticoque habitu, uidelicet ſuperpellitio ad publicam Miſſarum, Veſperarum, Matutinarum, quando decantabuntur, celebrationem conueniant, & ipſum Curatum ad officiandum, & cantādum adiuuent, ut eorum exemplo populus ad deuotionem excitetur, & cum maiori cetu & reuerētia diuinum officium celebretur, quo peracto, uel etiā ante, ſi parochiali præsbytero, ita magis expedire uiſum fuerit, dictarum fraternitatum capellani Miſſas ſuas, & alia diuina officia incipere, & uſque in finem deuote poterunt perficere.

## ¶ De nouis fraternitatibus non inſtituendis. C. 45

QVoniam experientia docente didicimus, Nouas fraternitates plerunque parochialibus eccleſiis ac ipſarū Rectoribus præiudicium generare, & ex multiplicatione confratriarum ſæpe Monopolia oriri, &

Digitized by Google

quæ in uſus pios conſumenda ſunt, in crapulam conuerti. Si quidē dies ſeſtos confratriarum non aliter quidem ſe confratres digne celebrare putant, niſi cōmeſſationibus & ebrietatibus deſeruiant. Iccirco prohibemus, ne de cætero ſine expreſſo Noſtro conſenſu & approbatione, quæcunq; nouæ fraternitates admittantur. Volentes q; iam factis & a prædeceſſoribus Noſtris approbatis, in nullo præiudicetur, dummodo terminis ſuis contentæ exiſtant, & eorundem capitula per Nos aut prædeceſſores Noſtros fuerint approbata, quæ etiam ſeruari omnino in uirtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, Mandantes curatis, ut ea ſemel ſaltem in menſe præſentibus confratribus legi procurent. Prohibentes omnino illas conuenticulares cōmeſſationes, maxime diebus feſtis illarum confratriarum, & ex denariis earundem faciendas, ſeu ſoluendas.

## De nouis capellis, & oratoriis non erigendis, & pœna in illis celebrantium. C. 46.

PRæſenti cōſtitutione Declaramus, ut iuxta Canonicas ſanctiones nullus in Parochia erigat, uel erigere patiatur nouas eccleſias, uel poſt hac miraculum de nouo factum prætendat, uel in campis ſtatuas erigat prætextu noui miraculi, cum truncis, ad quos pecuniæ reponantur ſine licentia Noſtra, Quum populus nouitate gaudeat, & ſoleat aliquando leui aſſertione miraculorum ad unum, & alterum locum populariter concurrere, & candelas & alia uota offerre, quo fit, ut matrices eccleſiæ debitis fraudētur honoribus, & ſæpenumero falſa pro ueris in his locis publicentur. Volentes itaq; credulæ ſimplicitati Nobis commiſſæ plebis conſulere, & nouis impudentibusq; hominum mente corruptorum ad quæſtum occaſionibus obuiare, Mandamus, ut rectores parochialium eccleſiarum, ubi ſimilia attentantur, infra XV. dies a die talis nouitatis factæ & publicatæ computandos, ad Nos, uel Vicarium noſtrum deferant, ut cum cauſæ cognitione, quod iuſtum erit, decernere poſſimus, Et ſi Rector, in cuius parochia, & plebe fuerint huiuſmodi erectæ eccleſiæ uel quid ex ſupraſcriptis attentatum, Nos certiores non fecerit, lapſis qndecim diebus p̄dictis. Aut quis p̄sbyterorū in huiuſmodi eccleſiis de nouo erectis auſus fuerit celebrare, graui pœnæ ſubiacebit.

## De nouarum Miſſarum celebratione. C. 47.

PRohibemus etiam, ne quis ſiue ſæcularis, ſiue religioſus ſit, etiam ſi per Nos ad ſacerdotium ordinatus fuerit, audeat ſuam primā Miſſam celebrare, ſine Noſtro, aut Vicarii noſtri conſenſu, ſub pœna XXV. librarum. Item prohibemus tam in Miſſarum nouarum, q̄ Euangeliorum decantatione, choreas, ſiue tripudia fieri, aut ludos taxillorum, uel

cartarum, aut conduci tibicines, & alios ſonatores pro ſonando aut ad Miſſam, aut ad conuiuium. Qui autem huiuſmodi mandatis non paruerit, pœnam carceris eo facto incurrat, cui etiam pœnæ ſubiacere nolumus eum, quicunq; fuerit, cuiuſcunq; ſtatus, ordinis, uel conditionis extiterit, qui tantum ſacrificium extra eccleſiá in cimiterio, aut plataea, aut loco alias prophano celebrare nobis irrequiſitis auſus fuerit.

De Muſicis ſonis & cãtibus in celebratione diuinorũ. C. 48.

QVum in diuinæ laudis officiis, modeſta pſallentium grauitas placita modulatione decantare debeat, Nam in ore eorum dulcis reſonat ſonus, In eccleſiis autem Muſici cantus prætextu, non ſunt audiende publicæ cantilenæ, & laſciuæ, neq; in tragediarum modum, guttur & fauces medicamine ſunt leniendæ. Ne dum blanda uox quæritur, congrua uita negligatur. Curẽt ſacerdotes & clerici, ſic ſuos cantus inſtituere, ut modeſta honeſtaq; pſallendi grauitate, placidaq; & grata modulatione ſic audientium aures deliniant, ut prouocẽt excitentq; ad deuotionem compunctionemq;, nõ laſciuiam, cordiſq; aut animi titillationem. Siquis autem contrafecerit, ſuſpenſionis ab officio pœnam per octo dies iuxta formam Fe. Re. Ioannis pp. xxii. incurrat.

Quomodo curati debeant ignotos, uel notos presbyteros ad celebrañ. in ſuis eccleſiis recipere. C. 49.

QVum nonnulli ad diuerſas mundi partes ſe conferant, gerentes ſe pro clericis, cum ſint laici, uel alĩs ignari, infames, excommunicati, aut irregulares, uel ab ordinariis propter ſuos graues exceſſus banniti. Iccirco inhibemus omnibus eccleſiarũ rectoribus, ne in eccleſiis ſuis ad celebrãdũ ignotos ſacerdotes admittãt, niſi p Nos examinati, aut approbati fuerint, & licẽtiam a Nobis obtinuerint, poſtq̃ de eorũ legitima ordinatione conſtiterit, & abſentiæ ſuæ cauſa, a Ciuitate, & Dioc. propria per Nos approbata fuerit. Prædictæ autem licentiæ nulla fides habeatur, niſi cãcellarii noſtri manu ſit ſubſcripta, & Noſtra, aut Vicarii ſigillo munita. Cum qua etiam non admittatur, qui in habitu clericali non fuerit, Solent enim complures pro ea tantũ uice in Clericali habitu ſibi forſan commodato, conſpectui noſtro ſe præſentare, & licẽtia obtenta, habitum poſtea gerere more ſæcularium, In notis autem & cognitis, undecunq; ipſi ſint, prædicta uolumus obſeruari, cum hac moderatione, ſi ad celebrandum ultra octo dierum ſpatium ſine Noſtra, aut Vicarii Noſtri licentia fuerint ab ipſis rectoribus tolerati, Alias tam recipiẽs & tolerans, quam receptus, ſiue notus, ſiue incognitus ſit, pœnam grauem incurrat, & credatur accuſatori, ſi ſit bonæ famæ, cum iuramento, & quilibet ſit accuſator.

Moderatio

Digitized by Google

¶ Moderatio licentiarum presbyteris ad celebrañ. in alienis eccleſiis conceſſarum. C. 50.

MOnemus autem omnes Capellanos, qui a Nobis licentiam ſiue pro celebrando tantum, ſiue pro celebrando, & animarũ curam exercendo, in uno loco determinato obtinuerit, ꝙ ſi contigerit eos de locis illis, de quibus in ſuis licẽtiis a nobis obtẽtis fuerit facta mẽtio, diſcedere, de nouo ſeſe conſpectui Noſtro præſentare pro obtinenda licentia de celebrañ. tantum, uel de celebrando & animarum curam exercendo, debeant, & ſic fiat totiens, quotiens de uno loco ad alium tranſitum fecerint, ut & nos mentem noſtram informare poſſimus, ex qua cauſa nolint, ſeu non poſſint amplius in uno loco permanere, & cui imputari debeat. Quem enim in una eccleſia idoneum ſeu ſaltem tolerabilem pro loci qualitate & ſacerdotum penuria reputauimus, in alia maioris importantie nequaꝗ admitteremus.

¶ Quod nullus admittatur ad celebrandum, ſeu habitandum in oratoriis ſine expreſſa licentia. C. 51.

INſuper præcipimus Sacerdotibus omnibus Ciuitatis, & Dioc. noſtræ habentibus oratoria, capellas infra confines, & limites parochiarum ſuarum, quatenus non admittant aliquem ad habitandum in dictis locis, ſine noſtra expreſſa, & in ſcriptis habita licentia, ſiue ſit ſacerdos, ſiue laicus, ſiue conuerſus, ſiue profeſſus, ſiue Heremita, & quocunq; nomine cenſeantur.

¶ Ne intra eccleſiam arma deferantur. C. 52.

MAndamus in uirtute ſanctæ obedientiæ omnibus celebrantibus in eccleſiis ciuitatis & Dioc. Noſtræ, quatenus moneant parochianos, ne arma deferant in eccleſias, aut ea deponant iuxta ualuas eccleſiæ, experimento nanq; compertum eſt, ob armorum uicinorum cõmoditatem, homicidia & cædes in eccleſia fuiſſe perpetrata, & indecorũ admodum uideatur, ut coram pacifico Rege, cuius in pace factus eſt locus, armati compareãt, & thuris loco fumum cordularum accenſarum & pulueris tormentariæ emittant, quod ſi parere neglexerint, nequaꝗ Clerici celebrare præſumãt, ſed uel per litteras, uel per ſe omnia iſta exorbitantia Nobis ſignificent.

¶ Quod Sacerdotes non celebrent, niſi omnes ſteterint cum debita Reuerentia. C. 53.

INſuper mãdamus Sacerdotibus ciuitatis, & Dioc. ꝙ ſi factis admonitionibus ſuis, Parochiani alii ue præſentes noluerint in eccleſiis tẽpo-



Digitized by Google

re diuinorum cum debita reuerentia ſtare, nullo pacto celebret. Quod ſi nobis non paruerint grauiter quicunq; fuerint, caſtigabimus. Volumus autem, q in eccleſiis Maſculi ſint ſeparati a Mulieribus, & in eccleſiis maneant, non autem extra ad oſtia, modo hanc mulierem, modo illam uexantes. Item q non maneant ad pilas aquæ ſanctæ, aut adhæreant fonti Baptiſmali, aut ſacris altaribus, ſuper illis ſe appodiantes, contra quos in ſacris litteris ſcriptum inuenitur, quiſquis externorum acceſſerit, occidetur. Item quod non deambulent, ſeu ſpatientur per eccleſias tempore Diuinorum.

¶ Quod tabernarii non recipiant aduentores ad diſcumbendum, dum diuina celebrantur. C. 54.

PRohibemus in uirtute ſanctæ obediētiæ omnibus Tabernariis, & Hoſpitibus, cuiuſcunq; ſint conditionis, ut nullum in diebus dominicis, & ſolennibus, eo tempore, quo diuina celebrātur officia, Veſperæ, Miſſæ Nec non quando contigerit prædicationem fieri populo in ſuis hoſpitiis & tabernis recipiant, nec quicq̄ tunc cibi, aut potus adminiſtrent, niſi dūtaxat neceſſitatis tempore, aut peregrinis tranſeuntibus, & aduenis, & curatos omnes iſta ſæpius populo nuntiare, Monemus, ſubditoſq; ſuos cogant obſeruare.

¶ Item quod circulatores ſileant. C. 55.

ET quia ſæpius, dum diuina in eccleſiis celebrantur, Circulatores, Præſtigiatores, Pharmacopolæ, & Ciurmatores publice in plateis cantant, ita ut populus nugarum auidiſſimus, eorum pernitioſa garrulitate a Diuinorum auditione retrahatur, Ideo mandamus ſacerdotibus omnibus, q nullo pacto permittant huiuſmodi homines, dum Diuina in eccleſiis celebrātur, cantare, uendere, aut quicq̄ aliud facere, quo populum detineant.

¶ Item ne mendici per eccleſiam uagari p̄mittātur. C. 56.

ITem iniungimus, ſacerdotibus omnibus, & religioſis, q non permittant quæſtores, & mendicantes, cuiuſcunq; ſint conditionis, per eccleſias uagari, & maxime dum Diuina celebrantur officia.

¶ De ordinationibus clericorum. C. 57.

DOctoris gentium dicentis, nemini cito manum imponas, ſalubri ſanctiſſimaq; doctrina præmoniti. Monemus omnes & ſingulas

Digitized by Google

Ciuitatis & Di[illegible] noſtræ, qui ad aliquem ordinē promoueri deſiderat, quatenus per xv. dies, poſtq̄ per affixionem edicti ſuper ualuis noſtræ cathedralis eccleſiæ intellexerint, Nos generalem ordinationem ad omnes eccleſiaſticos etiam ſacros, & præsbyteratus ordines Domino cōcedente, uelle tenere, Nobis aut Vicario noſtro ſe præſentent nomina ſua, & cognomina cancellario noſtro annotanda daturi, ac audituri, quo die accedere debeant ad ſe debito examini ſubiicieñ. Volumus autē per tantum tempus ante diem ordinationis Nobis præſentari, ut plene deſuper ordinādorum uita, moribus, conuerſatione, ætate, genere, patrimonio, Nos informari ualeamus. Nihilominus eoſdem ſic monitos, ꝙ niſi in dictis terminis, ut præfertur, comparuerint, ad ordinationem a Nobis tunc minime admittentur.

¶ De dimiſſoriis petendis. C. 58.

SI quando Nos abſentia, aut occupatione aliqua ordinationem tenere non poſſe contigerit, omnibus dimiſſorias litteras cupientibus, ut ab aliquo Antiſtite cōmunionem ſedis Apoſtolicæ habente ordinari ualeāt ſignificamus, ꝙ per ſimile temporis ſpatium ante ſimiliter Nobis aut Vicario noſtro ſe perſonaliter præſentēt, dictas dimiſſorias litteras impetraturi, ut poſſimus etiam cum dimiſſorias cōcedimus, ſuper præmiſſis, ætate, litteratura, moribus, beneficio, ſeu patrimonio inqrere, ſeruareq; diligenter dictas ſolēnitates perinde ac ſi Nos ipſi ordinaremus, ſic enim cautius incedemus, tutioresq; erimus in reddēda ratione Deo, q̄ ordinantis conſcientiam aliter onerando. Qui autem infra dictū terminum perſonaliter non comparuerint, nullo pacto dimiſſorias litteras impetrare ſe poſſe confidant.

¶ Quod ordinandi p̄ſententur ab aliquo probo uiro. C. 59.

QVum autem turpe uideatur, ut quis præſumat ſe temeritate propria præſentare ad petēdum, ꝙ ordinari debeat, Volumus, ꝙ nullus admittatur ad ordines ſacros, niſi præſentetur ab aliquo honeſto ſacerdote, ſeu parochiano ſuo internam notitiam ordinandi habente, qui iureiurando fidem faciat Nobis, præſentatum non habere aliquos defectus occultos, quibus arceri poſſet ab ordinatione, ſi detegerētur, uerbi gratia iuret ipſum bonis moribus eſſe præditum, & honeſtæ conuerſationis, liberum, legitimo natum matrimonio, ſanæ mentis, non epilenticum, non ſimoniacum, non homicidam, non percuſſorem, non rixoſum, non bigamum, non abſthemium &c.

¶ Pœna præſentantis indignum. C. 60.

ET ne contra tam ſalubre inſtitutum fraus aliqua procurari poſſit. Quicunq; Nobis præſentauerit ordinādum, incurret pœnam gra-



Digitized by Google

uem, ſi poſtea apparuerit præſentatũ laborare aliquo ex defectibus prædictis, ſuper quibus ipſe iurauit, niſi fuiſſent ita occulti, ut potuiſſent probabiliter ignorari ab homine habente noticiam de præſentato, & ipſum ordinatum ex tunc, prout ex nunc, & e conuerſo ſuſpendimus ab ordinis ſui executione: Grauiore etiam pœna, ſi nobis uiſum fuerit, in eum animaduerſuri.

## Contra obtinentes diſpenſationes, & facientes ſe ordinari extra Dioceſim. C. 61.

QVum nonnulli reperiantur, qui ſuæ ignorãtiæ, aut incapacitatis, aut delictorum conſcii fugiunt examen noſtrum, non ſperantes ſe eſſe a Nobis promouendos, niſi mutatæ uitæ tale Nobis ſpecimen præſeferant, ut eos abſq; ulla Noſtræ conſcientiæ ſcrupulo ordinare poſſemus, & alio confugiunt, uel ut ad omnes ſacros ordines, etiam præsbyteratus ſe promoueri faciant, uel litteras ſurreptitiæ obtineãt, uigore quarum Nobis inconſultis a quolibet Antiſtite faciunt ſe ordinari, Mandamus omnibus eccleſiarum rectoribus nobis ſubditis, & præcipimus, Ne taliter ordinatos in ſuis eccleſiis ad Miſſarum celebrationem, aut ad alterius alicuius ordinis executionem recipiant, niſi prius eorum litteras per Nos, aut Vicarium noſtrum cognouerint fuiſſe approbatas Notificantes omnibus, & ſingulis, qualiter Fe. Re. Clemẽs pp. VII. Nobis indulſit, q̃ nullus de Dioc. Noſtra poſſit ſe facere ad aliquem ordinẽ promoueri extra Dioceſim noſtram, uel etiam in Dioc. ab alio Epõ ſine licentia noſtra, neq; etiam ſub prætextu litterarum a ſede Apoſtolica, aut ſacra pœnitentiaria emanatarũ. Et q̃ taliter ordinati, quo ad ordinum exercitium habeantur pro penitus non ordinatis, quãquam id iam ſit omnibus notoriũ, breuis ſcilicet tenore iãdudũ & pluries publicato.

## Taxa ſalarii Notariorum ſuper ordinibus. C. 62.

AD omnem remouẽdam fraudem, ſimoniacæq; labis ſuſpicionem, Nulla inter ordinem, & ordinem, etiam inter minores & ſacros ordines facta differentia. Volumus & ordinamus q̃ ſolutis quadraginta marculis Cancellario, ſeu Notario noſtro, pro carta, cordula, & capſula, ac cera pro qualibet Bulla, ſiue tantum unum ordinem, ſeu omnes continente, Nihil aliud ultra ab ordinato Cãcellarius ipſe petere, aut etiam ſponte oblatum accipere audeat, Quam taxam congruentem fore iudicamus, cum nullum alias ſtipendium habeat de publico pro ſcriptura ordinationem atteſtãte, adempta eidem omni facultate cogendi ordinatos ad talis ſcripturæ receptionem. Quod ſi ſecus factum fuerit, tam in petendo, q̃ in recipiendo, noſtram non effugiet ultionem.

Digitized by Google

Quod beneficiati promoueantur ad ordines debitos aut doceant de diſpenſationibus. C. 63.

CVm iuxta Canonicas ſanctiones hi,qui ad regimẽ parochialium, & aliarum eccleſiarum,& beneficiorum,animarum curam habentium,dignitatumq;,& perſonatuum ſunt aſſumpti, intra anni ſpatium ſe facere ad ſacerdotium promoueri teneãtur. Statuimus,& ordinamus, ut omnes & ſinguli clerici beneficia curata,ſeu al's ſacros ordines requirentia,Ciuitatis,& Dioc.noſtræ habentes,ſub eorundem beneficiorum priuationis pœna ſe infra anni ſpatiũ ad gradum ſacerdotii, & ad omnes ordines,quos eorum beneficia exigunt,& requirunt, promoueri faciant,aut Nos uel Vicarium noſtrum de diſpenſatione Canonica infra primum dicti anni menſem legitime informent.

De oſtendendis titulis beneficiorum. C. 64.

STatuimus,ut quilibet obtinẽs beneficia,dignitates,uel officia quæcunque eccleſiaſtica,ſæcularia,aut regularia,nec non præſtimonia, aut portiones clericales,in titulũ,uel commendã,ad collationem, inſtitutionem,ſeu aliam prouiſionem noſtram ſpectantia,teneantur ſub pœna priuationis dictorum beneficiorum,dignitatum,officiorum,& portionum,ac iurium in eis, uel ad ea quomodolibet competentium infra duos menſes in Ciuitate,& tres in Dioc.qui nũc ſunt,ab harum conſtitutionum publicatione,qui erunt in futurum, a die factarum eis collationum & prouiſionum quarũcunq; cõnumerandos,coram nobis, ſeu Vicario noſtro titulos,ſeu collationes,prouiſiones,& iura ſua huiuſmodi præſentare,ſeu etiam præſentaſſe,fidem legitimam facere.

Vt obtinentes beneficia eccleſiaſtica incompatibilia doceant de diſpenſationibus. C. 65.

ITem monemus omnes & ſingulos quorumcunq; beneficiorum eccleſiaſticorum quomodolibet qualificatorum incompatibilium poſſeſſores,eiq; nihilominus in uirtute ſanctæ obedientiæ,& ſub pœna priuationis & amiſſionis dictorum beneficiorum incompatibilium,committimus & mandamus:quatenus intra proximum dictum ſimilem terminum officio noſtro, realiter & cum effectu præſentaſſe debeat diſpenſationes legitimas in forma autentica & fidem faciente,ſeu aliter legitime & canonice comprobaſſe, quo iure uel titulo dicta incompatibilia beneficia uel officia teneant uel poſſideant.

De faciendo reſidentiam in beneficiis ſuis. C. 66.

VOlentes inſuper ſubditorum noſtrorum animarum ſaluti, ut tenemur, undiq; proſpicere,omnes & ſingulos cuiuſcunq; eccleſiaſtici

Digitized by Google

ſint ordinis,& quacunq; præfulgeant dignitate,in Ciuitate & Dioc. Veronen̄.eccleſias,capellas,cōmendas,dignitates,perſonatus, & quæcunq; alia beneficia,& loca eccleſiaſtica,perſonalem reſidentiam de iure cōmuni ſeu ex conſuetudine quomodolibet requirentia obtinentes, ſub illorum priuationis pœna ipſo facto incurrenda. Monemus,eisq; in uirtute ſanctæ obedientiæ præcipimus,quatenus reſidentiam perſonalem prædictam,per ſeipſos & non per Vicarios ſubſtitutos faciant,aut ſaltē,qui nunc ſunt beneficiati infra xxx.dies a publicatione præſentiū conſtitutionum,& qui erunt in futurum infra xxx.dies proximos a die, quo earundem eccleſiarum & beneficiorum poſſeſſionem aſſecuti fuerint, cōputandos,Nobis uel Vicario noſtro plenam & legitimam fidem,quare ad reſidentiam huiuſmodi,ut præfertur,faciendam non teneātur, cum effectu feciſſe debeant.

## ¶ Vt Miſſæ & alia diuina celebrentur iuxta obligationes cuiuſlibet. C. 67.

MOnemus inſuper omnes & ſingulos Sacerdotes tam ſæculares, q̄ ordinum quorūcunq; regulares,qui legata,capellas,altaria,& beneficia,quæcunq; ſacerdotalia habentes,Miſſas certis diebus,& temporibus,tam pro uiuis,q̄ defunctis celebrare tenentur, q; de cætero perpetuis futuris temporibus,Miſſas eiſdem ſuis legatis,capellis,altaribus,uel ſacerdotalibus beneficiis,a iure,uel ab homine taxatas,deputatas, & aſſignatas,inuiolabiliter,& ſine intermiſſione, uel fraude aliqua, per ſeipſos,ſeu per alios idoneos,per nos approbandos,celebrari facere debeant, ſuis debitis locis,& horis,ſub pœna decem ſolidorum Veronen̄.pro prima uice qua dictas Miſſas celebrare intermiſerint,& ceſſauerint,quod ſi ſecunda uice,pœna duplicetur,quod ſi tertia uice,& ultra ſuſpenſionem a diuinis, & amiſſionem fructuum altarium, capellarum,& beneficiorum illorum ſacerdotalium ad arbitrium noſtrū eo ipſo incurrant.

## ¶ Vt Rectores denuntient negligentiam capellanorū. C. 68.

VT autem poſſimus uariis occurrere ſcandalis, quæ ex proximę dictis,neglectu,intermiſſione,uel omiſſione ſacerdotū non celebrantium miſſas,& diuina officia,iuxta pias defunctorum, uel dotantiū intentiones & uoluntates,in dies oriri poſſint,quo fit,ut Chriſti fideles,ab erectionibus & dotationibus beneficiorum retrahantur,& diuinus cultus ualde diminuatur,In uirtute ſanctę obediētię pręcipimus omnibus & ſingulis Ciuitatis & Dioc.noſtre Veronen̄. Archipręsbyteris, rectoribus & gubernatoribus,q; teneantur infra quinque dies ab ommiſſione Miſſę ſeu officii computandos,officio noſtro denuntiare negligentiam

Digitized by Google

ſacerdotis, iuxta obligationem ſuam, ut prędictum eſt, celebrare nolentis, ut ad poenas, de quibus ſupra, procedere ualeamus. alioquin contra ipſos negligentes in denuntiando, iuxta arbitriũ noſtrũ procedemus.

¶ Quod clerici iuuenes præſentent ſe D. Epiſcopo uel deputato, & ſimiliter cæteri tam in Ciuitate q̃ Dioc. commorantes & celebrantes. C. 69.

ITem uolumus, & mandamus, ꝙ unuſquiſq; Rector, ſeu Plebanus Ciuitatis, & Dioc Noſtræ Veroneñ. non ſolum ſæcularium inter ſuam Plebem degentium curam gerat, uerũetiam præsbyterorum iuuenum, qui per minores titulos in ſuis eccleſiis celebrãt, uel etiam Clericorum quorumcunq; qui in ſua parochia habitant, iugi circũſpectione uitam cuſtodiat, & qua unuſquiſq; induſtria Diuinum opus exerceat, cuiuſq; ritus & conuerſationis exiſtat, quos omnes clericos, ac præsbyteros prædictos ſemel in mẽſe coram Nobis in epiſcopali palatio, uel alio per Nos deputato comparere Mandamus ad ſubiiciendum ſe examini, ut ſciatur, ſi quæ ſibi circa litteras, mores, habitum, cõuerſationem, impoſita fuerint, effectualiter exequatur. Adiiciẽtes rem nobis admodum gratam, & ſtatui ſuo congruentem facturos omnes illos, tam in Ciuitate, q̃ in Dioc. commorantes, & celebrantes ſacerdotes, ſi quotiens ad Ciuitatem acceſſerint, uel alias commode potuerint, ſe a Nobis, ſeu Vicario noſtro in abſentia uideri permiſerint, quum Nos arbitremur ſolum has noſtras delitias eſſe, ſi crebro cum filiis, & fratribus noſtris in Vinea Domini cooperatoribus colloquamur, in medium remedia conferẽtes, quibus lupus ab ouili arceatur, gratias Deo agentes, ſi quæ tam in uiſitationibus, quam in his Noſtris conſtitutionibus commiſerimus, opere compleri, ac debitæ executioni mandari perceperimus, Deo ac hominibus atteſtantes, & plectendo, & ignoſcendo, & in uirga, & in charitate & ſpiritu manſuetudinis. Id ſolum agere, ut auctore Domino, & ſubditorum uita corrigatur, & dilectionis officium impleatur: & maiorem horum non habemus gratiam, quam ut audiamus filios noſtros in ueritate ambulare.

¶ Quos præceptores imitari debeant clerici iuniores. C. 70.

IVniores autem & tirunculi, qui officii ordinem ignorãt, & qui adhuc grammatices rudimentis nõ ita bene imbuti ſunt, probatis & doctis ſenioribus adhæreant, quibus cũ ſimul Deo Pſallant, quos & magiſtros doctrinæ, & teſtes uitæ habeant, per quos caſtigatæ uerba proferre diſcant, ne cum barbariſmis, uel ſoleciſmis Deum inuocent, uel eadem uerba, quæ pronuntiant, non intelligãt, perturbẽtq; diſtinguant. Caueãt

autem in primis, ne eos præceptores, duces, ſocios ad Deo pſallendum eligant, per quos magis Dei maieſtas offendatur, q̃ alias placeatur, & ſemper ſiue ſoli, ſiue aſſociati fuerint, non in gutture, uel inter dentes: ſeu deglutiendo, ſeu ſincopando dictiones, ſeu colloquia, aut riſus intermiſcẽdo, ſed ita reuerenter diurnum, nocturnumq; officium uerbis diſtinctis peragant, ac in tali loco, unde a deuotione non retrahantur, & ſi qui deuotionis, aut religionis igniculi fuerint, prorſus non extinguantur.

## De laudabili clericorũ exercitio, & ut dicant officiũ. C. 71.

QVum in hac uita mortali nihil ſit, quo poſſimus Deo familiarius iungi, q̃ in laudibus ipſius, quæ potiſſimum Pſalmis continentur, Iccirco monemus, & hortamur ſacerdotes, tam curatos, q̃ non curatos, & clericos omnes tam ſacri ordinis, quã beneficii ratione ad dicendum officium aſtrictos, Nobis ſubditos, ut ſingulis diebus, horis competentibus iuxta poſſibilitatem, diuinum officium diurnum pariter & nocturnum, quantum eis dederit dominus, ſtudioſe celebrent, & deuote perſoluant. Quum alias orationem illam non audiat Deus, cui ille, qui orat, non attendit.

## De officio Veteri. C. 72.

FVit ſane bonis rationibus fulcitũ laudabile illud inſtitutum proponendi noui officii recitationem, ut ex præfatione Breuiariorum fronti appoſita uidere licet, tamẽ quia clerici, qui licentiam huiuſmodi recitandi diuinum officium ſm̃ uſum nuper introductum obtinuerũt, quorum pleriq; uel hoc mouentur, ut eo ſolum ſacræ ſcripturæ profeſſores agant, dum illius recitationi indeſinenter, uel rei nouitate gaudentes, uel penſi ſui breuitate allecti, intendunt, uſum ueterem, quem in choro ſeruare tenentur, derelinquunt, Iccirco omnes & ſingulos Ciuitatis & Dioc. noſtræ clericos in domino exhortamur, ut ita nouo uſui priuatim in domibus inſiſtant, ut ueterem obſeruandum publicæ in eccleſiis non ignorent. Præſertim quum ſanctiſs. D. noſter pp̃. illum in choro omitti nequaq̃ uelit, & hoc ad euitandum errores, in Antiphonis, Reſponſoriis, Verſiculis, Capitulis, Lectionibus, Pſalmis, & Hymnis, qui frequenter cõmittuntur in diuini cultus perturbationem, & circunſtantis populi ſcandalum, dum horariæ præces in choris pſalluntur, non ſolum per iuniores clericos antiqui uſus huiuſmodi penitus imperitos, uerum etiam ſenes primæuum morem edoctos, & ſola illa in choris recitatio non ſufficit ad inſtruendum, uel iuniores, uel ſucceſſores preſbyteros, cum in ea etiam cum tot rubricis & regulis circa priſcum pſallendi modum preſcriptis, Accedente etiam quotidiano uſu, admodum paucos bene inſtructos hodie reperiamus.



Digitized by Google

## DE PRAEDICATIONE VERBI DIVINI TITVLO TERTIO.

### Ne ullus admittatur ad prædicandum ſine literis D. Epiſcopi. C. I.

QVoniam inuidens ſemper humanæ ſaluti zizaniorum Sator diabolus, quod in agrum Dominicũ per ſe directe non poteſt, id nõnunq̃ per ſuos, quos poſſidet, cupiditatis igne ſuccenſos, exquiſitis modis efficere conatur, Iccirco a Nobis ſummopere aduertendum eſt, cuius uitæ ſint hi, per quos uerbũ Dei ſeminatur in populo, ne plantare fingentes, potius deſtruant, Eã igitur ob cauſam, ne iſtud prædicationis officium circũuentis parochialibus præsbyteris uſurpari a quoq̃ poſſit, ſub prædicatorum, quæſtorum, uel falſo nonnunq̃ ſimulatæ religionis habitu ſubintrando, Nos etiam ad hoc ſufficienti per litteras Apoſtolicas in forma breuis inferius regiſtrandas facultate ſuffulti, omnibus & ſingulis parochialium eccleſiarum rectoribus, & aliis, ad quos ea cura ſpectat, Præcipimus, q̃ aliquem cuiuſuis ſtatus, ordinis, uel conditionis exiſtat non admittant ad prædicãdum, nec ad quæſtus faciendum, per parochias & alias eccleſias ſuas, niſi prius Nobis, aut Vicario noſtro per ſuorum prælatorum litteras ſigillatas præſentati, & a Nobis approbati, & ad hoc nominatim cum litteris Noſtris patentibus miſſi extiterint. Nos enim Apoſtoli uerba attẽdentes, quomodo prædicabũt, niſi mittantur, religioſos ad prædicandum in Dioc. Noſtra non mittemus niſi prælatorum ſuorum prius per Nos obedientia uiſa, quos etiã Nos pro uirili experiri cupimus, an ſint ætate maturi, moribus graues, & in ſacris litteris ſufficienter eruditi, ſemper rogãdo dñm meſſis, ut mittat bonos operarios in Meſſem ſuã, cũ Meſſis multa, operarii pauci.

### PAVLVS PAPA III.

VENERABILIS Frater ſalutem & Apoſtolicam bẽñ. Cum ſicut accepimus, tu pro tuo officio & erga Deum ſolita pietate cupias quod in Ciuitate & Dioc. tua Veroneñ. uerbum Dei a ſufficiẽtibus ac bene ſentientibus & Catholicis prædicetur, & ab eiſdem ſacræ littere publice legantur & interpretentur, ac libri hereſim ſapientes aut al's ſcandaloſi a nemine legantur, precibus tuis ſuper hoc nobis humiliter porrectis inclinati. Tibi quod omnibus & ſingulis tam ſecularibus q̃ quorũuis ordinum regularibus & quaſuis licentias ſeu facultates, etiam a ſede Apoſtolica habentibus, ac quantumcunq; exemptis & priuilegiatis perſonis, ne uerbum Dei in Ciuitate & tua Dioc. Veroneñ. ſine tua licentia in ſcriptis habita prædicare, aut ſacras litteras publice uel priuatim lege



BIBLIOTECA STATALE CREMONA

Digitized by Google

re & interpretari, uel libros hereſim ſapientes ſeu ſcandaloſos legere audeant ſub cenſuris & pœnis eccleſiaſticis tibi uiſis inhibere, & contra ſecus facientes, ad declarationem incurſus dictarum cenſurarum & ad ulteriora etiam per inuocationem brachii ſecularis procedere, cæteraq; omnia & ſingula in præmiſſis neceſſaria uel quomodolibet oportuna facere & exequi poſſis & ualeas auctoritate apoſtolica tenore præſentiũ facultatem & poteſtatem concedimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac dictorum ordinũ etiam iuramento confirmatione Apoſtolica uel qua uis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, priuilegiis quoq; indultis ac litteris Apoſtolicis eiſdem ordinibus ſub quibus uis tenoribus & formis conceſſis confirmatis & innouatis, quibus illorum tenores preſentibus pro expreſſis habentes, illis alſs in ſuo robore permanſuris, ad effectum præſentiũ duntaxat derogamus, cæteriſq; cõtrariis quibuſcũq;. Dat. Romæ apud ſanctũ Petrũ ſub Annulo Piſcatoris Die XVII. Februarii M D XXXXII. Pont. Noſtri Anno Octauo.

A tergo Venerabili fratri Ioanni Mattheo Epiſcopo Veroñ.

V. Blo. El. Fulgiñ.

¶ Inſtructio, ſuper quibus inſiſtere debeãt Prædicatores. C. 2.

OMnes autem religioſos, poſtq̃ per Nos ad prædicandum in ciuitate & Dioc. Noſtra admiſſi erunt, per uiſcera domini noſtri Ieſu Chriſti Rogamus, ut ipſius Euãgelium ſincere populo prædicent, & annuntient, imitentur eius ueſtigia uiris apoſtolicis præcipientis, prædicate Euangelium omni creaturæ, & iterum, Docete omnes gẽtes ſeruare quæcunq; mandaui uobis, innitantur interpretationibus ſanctorum eccleſiæ doctorum antiquorũ prout etiam in concilio Lateraneñ. conſtitutum eſt ſub excõmunicationis pœna ceſſent in ſanctis illis concionibus, prophanarum legum minime neceſſariarum citationes, poetarũ auctoritates ſuperuacuæ, ſubtilium quæſtionum & plærunq; futilium inanes allegationes, Memores ſemper oportere eũ, qui docet, & inſtruit animas rudes, eſſe talem, ut pro ingenio diſcentium ſemetipſum poſſit aptare, & uerbi ordinem pro audientis capacitate dirigere, inſtruant populum ad obſeruationem præceptorũ dei, ut fidem in concuſſe teneant, atq; omnibus mandatis dei, & eccleſiæ pareãt. Nec ab eiuſdem eccleſiæ decretis, & ſanctionibus deuient. Parentes adhortentur ad bene educandum liberos ſuos adhuc in tenera ætate conſtitutos. quãdo ea ætas cæterarum ætatum fundamentum eſt, & principium, Non erubeſcant Chriſtum Crucifixum Chriſtianis prædicare, cuius amorẽ ſtudeant ſa-

Digitized by Google

xeis hominum cordibus inſigere, ſint in uerbo diſcreti, caſti, examinati, eloquia domini, eloquia caſta. Perlegant etiam ea, quæ decet charitate, abuſus illos Ciuitatis, & Dioc. Noſtræ, quos & pro paſtoralis, ac paterni officii Noſtri debito, in unum colligendos, & pro maiori ipſorum concionatorum commodo imprimendos curauimus, ut ſic opportune, & importune circa eos quotidie inſiſtentes, ad amorem Dei populum trahant, uitia deteſtentur, ad uirtutum amplexus auditores allicientes, habeant præ oculis pro ſcopo honorem Dei, & animarum ſalutem, nihil ad gloriam & oſtentationem facientes, non quæſtui intenti, nec quæ ſua ſed quæ Ieſu Chriſti ſunt, quærentes, ut ſic iuxta ueritatem dent cibum in tempore, & frangant eſurienti panem.

## ¶ Quomodo ſe habere debeãt pdicatores cũ Curatis. C. 3.

QVum autem religioſi ſeminandi uerbum Dei cauſa, ad aliquẽ locum de Noſtra, aut Vicarii noſtri licentia peruenerint, cum quilibet locus abundet in ſenſu ſuo, ſtatim cum curato fraterna inita beneuolentia, abſq; ulla uoluntatum diſcrepantia iuxta illud Prophetæ uaticinium, qui habitare facit unius moris in domo, ſimul in charitate loquantur, quæ potiſſimum uitia uigeant in parochia ſua, cuiq; nam rei illius loci homines ſint magis proni, remedia etiam ſimul excogitantes, quibus ex illis locis eorum morborũ radices euelli, ac extirpari poſſint, experientia enim docti ſumus, quorũdam locorum colonos tardiores, & pigriores ad confitendum peccata ſua, & Euchariſtiæ ſacramentum ſuſcipiendum in uno loco reperiri, q̃ in alio, Hic homines magis pronos eſſe ad uſurarios, & illicitos contractus ineundos, peccatum ſuum diuturnitate temporis & peſſima corruptela excuſantes, illic magis ad libidinem procliues nulla ſexus differentia aut parentelæ ratione habita, Alibi blaſphemos, & periuros reperiri ut mireris potius Dei optimi pietatem & miſericordiam, Prudens igitur prædicator ſemper in omnibus ſuis concionibus opportunitate capta acriter inuehat hodie in iſtud uitium, cras in illud, & ſic diebus ſingulis ſingula deteſtetur, quæ in illo loco præualere perceperit, animarum ſaluti, & non proprio lucro inuigilando. ſacerdotes autem omnes, ad quos declinare contigerit prædicatores, ut Charitatiue eos ſuſcipiant, & benigne tractent, hortamur in domino, ſignificantes q̃ ſi eos ſpreuerint, eum ſpernent, a quo mittũtur.

## ¶ Contra ſcandoloſos, & indiſcretos Prædicatores. C. 4.

QVorundam indiſcreta prædicatio, qui interdum rancore moti cõtra ſe inuicem prædicare non uerentur, in populi ſcandalũ, & exẽplum pernicioſum, præſenti edicto cauſam dedit, quo iubemus, nequis



Digitized by Google

prædicantium in monaſteriis & eccleſiis noſtræ Ciuitatis, & Dioc. ſiue religioſus, ſiue ſæcularis exiſtat, contra alium quicq̃ in cancellis ſcandaloſum, aut irritãs prædicet, aut in dubiũ reuocet, quod iam p̱ ſanctos eccleſiæ patres ſancitum eſt, quod nõnunq̃ fit cum graui auditorum nauſea, ſed ſi errorem hæreſum, uel quid aliud contra alterius ius, aliquis ex ipſis prædicauerit, id Nobis uel Vicario noſtro referatur, ne ex huiuſmodi contentione, publica ſcandala in populo, & pericula conſurgant animarum, ſecus facientes pœnam ſeueram non euadent.

## De denuntiandis ſcandoloſis prædicatoribus. C. 5.

CVpientes autem prædicatores per Nos ad concionandum miſſos, manipulos refertos ad Aream Domini reportare, & nõ uacuis manibus redire, ſcientes, cuius uita deſpicitur, ſupereſſe, ut eius quoq; prædicatio contemnatur, quo fit, ut pro ficubus, tribulos, pro uuis ſpinas colligant, iniungimus omnibus Curatis, & Capellanis animarum curam exercentibus Nobis ſubditis, ꝙ ſi ſciuerint aliquos prædicatores, cuiuſcunq; gradus, & ordinis exiſtant, ſcandaloſæ uitæ, aut populum more ſcurrarum uiliſſimorũ, dum ridiculas, & aniles fabulas recitãt, ad riſus, chachinnationesq; excitẽt, aut Prælatis Eccleſiarũ principibus, ſacerdotibusq; detrahentes, aut falſas doctrinas ſeminantes, aut confeſſiones, audiendo pecuniam emungentes, Nobis aut Vicario noſtro cum diligentia referant, & notificẽt, quod ſi negligentes reperti fuerint, ſciãt ſe eandem pœnam arbitrariã, quam ipſi delinquentes pro modo, & menſura exceſſus, ſi capi potuiſſent, experti eſſent, non euaſuros.

## Vt prædicatores finitis prædicationibus præſentent ſe dño Epiſcopo. C. 6.

VOlumus præterea tranſacto quadrageſimali tempore, prædicatores omnes, qui in Ciuitate & Dioc. Veroneñ. uice noſtra laborauerint, quaſi uillicationis ſuę rationem reddituri ſe conſpectui noſtro, aut Vicarii pręſentent relaturi, quomodo tam ſęcularium, quam regulariũ uita, & mores ſe habeat, ſi quid ſit, cui pro Dei honore, & ſubditorum animarum ſalute conſulendum ſit. Quod ſi quis in ſe Nobis pręſentando, iuſta ceſſante cauſa, contumax fuerit, ſciat pro certo ſe de cętero ad pręducandum in Dioc. noſtra non admittendum.

Digitized by Google

## DE CVRATIS ECCLESIARVM ET EORVM OFFICIO TITVLO QVARTO.

### ¶ Vt ſingulis diebus feſtiuis explanent Euangelium. C. 1.

QVum dominus & Redemptor noſter poſiturus cum nobis rationem ſit reuerſurus, bene operantes pro adportato lucro remuneraturus; ſeruos uero, a bono opere torpentes damnaturus, Cauendum nobis eſt, ne talentum nobis donatum in terram fodiamus, ſed pro menſura unicuique poſcenti nos tribuere debemus, ut cum ſuper pauca fideles fuerimus, ſupra multa conſtitui ualeamus. Ob hāc igitur cauſam, cum in populo Dei, Sacerdotes doctorum uice fungantur, Vnde ſacerdotes quaſi ſacra docentes dicuntur, Mandamus ſacerdotibus omnibus, ut ſingulis diebus dominicis, & feſtiuis euangelium Chriſti non erubeſcentes infra miſſarum ſolennia prout ſibi dominus tribuet, qui ſolet dare uerbum euangelizantibus uirtute multa, illud populo in charitate, & cordis ſimplicitate explanare debeant, omnem domini noſtri Ieſu Chriſti actionem ad humanam inſtitutionem deducendo, & ſi aliud dicere neſcirent, una cum propheta exclament, Diuertite a malo, & facite bonum, Diligite Deum ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima, & ex totis uiribus ueſtris, & proximos ueſtros ſicut uoſmetipſos, & quod uobis non uultis, aliis ne feceritis, Sacerdotes autem illi, qui ignorant, diſcant a uicinis ſacerdotibus, & habeant expoſitiones in uulgari ſermone, & referant ex Antonina, quæ ſunt utilia populo.

### ¶ Item ut dicant orationem dominicam palam, & alia in capitulo comprehenſa. C. 2.

EXpoſito autem ſecundum talentum ſibi a domino datum, euangelio alta & intelligibili uoce, pronuncient prius latina, & poſtea materna, uulgariq; lingua, orationem dominicam, Pater noſter &c. Padre noſtro &c. & quoniam Deus (ut beatus Bernardus ait) nihil Nos ſalutis uult habere, quod per beatæ Mariæ manus non tranſeat, & dignum eſt, ut illam ſalutemus, per quā ſalus in ea initium ſumpſit, ideo dicāt etiam Aue Maria &c. Simbolum Apoſtolorum, Credo in deum &c. Credo in dio &c. Decem præcepta, Vnum cole deum &c. Vno ſolo Dio tu debbi adorare &c. & poſtea Confeſſionem ſubiungāt. Io mi confeſſo al Altiſſimo &c. Admoneant quoq; parochianos ſuos ad ſe conſignandum ſæpe ſigno crucis, ut apoſthata diabolus in uaſe ſuo priſtino interemptionis ſuæ cognoſcens ſignum, ſibi iam deinceps illud ſciat eſſe alienum.

Digitized by Google

## Vt pulſetur campana in eleuatione corporis Chriſti, & qua deuotione ſtare debeat populus, dum eleuatur Hoſtia & Euangelium legitur. C. 3.

VOlumus, ꝙ de cætero ſacerdotes omnes per Ciuitatẽ, & Dioc. noſtram morem iſtum introducāt, ut quoties eleuetur corpus, & ſanguis domini Ieſu Chriſti, pulſentur cāpanæ de cāpanili, Datis primum aliquibus ſignis, cum dicitur Sāctus, & populus admoneatur, quod qui feriatis diebus ad miſſam non poſſunt conuenire, ſaltem cum Campanam pulſare audiuerint, qui uel in campis laborant, aut per uiam reperiuntur, debeant genibus flexis adorare, & in Deum cor erigere, & cogitare, ꝙ ab eo ſuo ſanguine præcioſo redempti ſunt, & ab ipſo manutenentur, & aluntur, & propterea de tantis beneficiis gratias agant, ſic faciant etiam, qui domi, aut propter infirmitatẽ, aut alia ex neceſſaria, aut probabili cauſa miſſarum tẽpore detẽti, Miſſis in eccleſiis intereſſe non potuerint, Similiter ſacerdotes frequenter doceant plebes ſuas, ut qui in Eccleſiis fuerint, quum in celebratione Miſſarum eleuatur hoſtia ſalutaris, reuerenter ſe inclinẽt. Quibus ſic faciẽtibus .xl. ſimiliter dies de iniunctis pœnitentis in Domino concedimus, Item dum Euangelium legitur, non debeant ſedere, ſed uenerabiliter curui, & in conſpectu Euangelii ſtantes uerba dominica intente audiant, fideliter adorent.

## De Reuerentia facienda ſanctiſſimo nomini Ieſu. C. 4.

CVm diuina celebrantur ſolennia, & nomẽ domini noſtri Ieſu Chriſti fideles audiunt nunciari, capita ſua reuerenter inclinẽt. Cum in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnibus ita facientibus, pro qualibet uice .xl. dies de iniūctis eis pœnitentiis miſericorditer in domino relaxamus, & hoc ſæpius ſacerdotes populo intiment.

## Vt pulſetur campana ter in die pro ſalutanda Virgine. C. 5.

CVm ut ſuperius diximus, æquum & iuſtum ſit, ut deuote illam ſalutemus, per quam ſalus mundi apparuit. Statuimus, ꝙ in qualibet parochiali eccleſia, per totum annum pulſetur campana ter in die pro ſalutanda Virgine Maria, in mane, Meridie, & Veſpere, ut bonum ſit principium, melius medium, optimus finis, populum exhortentur, & inducant ſacerdotes, ut audito pulſu Deiparæ Virgini Mariæ, Angelicam orationem offerat, eam pro pace deuote exorando, ut ſic cōceſſas a Pontificibus indulgentias unuſquiſque conſequi poſſit.

Digitized by Google

## De Ieiuniis populo intimandis. C. 6.

MAndamus præterea ꝙ ſacerdotes curati in eccleſiis ſuis moneant Parochianos ſuos, ieiunia indicta a ſancta matre eccleſia obſeruare prout ab omnibus competentem ætatem habentibus, & ſine corporalis ſanctitatis diminutione ualentibus, ſunt obſeruanda, Que ſunt Ieiunium Quadrageſimæ, Ieiunia quattuor temporum, quæ poſt feſtū ſanctæ Luciæ, In aduentu Domini poſt cineres in prima hebdomada quadrageſimæ, poſt Penthecoſten immediate, poſt crucis exaltationem ſunt indicēda. Item uigilia natiuitatis domini noſtri Ieſu Chriſti, & aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis eius intemeratæ genitricis, Quæ licet inter ſua feſta ſola in iure præcipiatur, In uigiliis tamē aliorū eiuſdē uirginis Mariæ feſtorū, ſcilicet Natiuitatis, Cōceptionis, Purificationis, & Annunciationis, ſaltem ex deuota, laudabili, atꝙ iādiu approbata fere uniuerſali conſuetudine ieiunare pium, & quodāmodo debitum eſt. Item uigilia oīum Sanctorū, Natiuitatis Ioānis Baptiſtæ, Beatorū Apoſtolorum Petri, & Pauli, Simonis, & Iudæ, Andreæ, & aliorum Apoſtolorum, præter uigilias Apoſtolorum Philippi & Iacobi, & beati Ioannis euangeliſtæ, Laurentii, & in uigilia Penthecoſtes, in quibus uigiliis, carnibus, ouis, caſeo, cæteriſꝙ lacticiniis non utantur, & in primis a uitiis abſtineant. Iſtud enim magnum, & generale ieiunium eſt, a uitiis, & iniquitatibus, & ab illicitis uoluptatibus ſæculi abſtinere. Nihil.n.prodeſt homini ieiunare, & orare, & alia religionis bona agere, niſi mens ab iniquitate, & lingua ab obtrectationibus coherceatur.

## De Proceſſionibus deuote faciendis. C. 7.

PRæcipimus eiſdem Rectoribus eccleſiarum, ac eorum locatenentibus, ut Parochianos ſuos moneant, ut iuxta ſacrorum Canonum inſtituta in proceſſionibus rogationum, quæ fiunt tribus diebus ante dominicam Aſcenſionis, & dicuntur minores Letaniæ, & in feſto ſancti Marci euangeliſtæ, quæ ſunt maiores Letaniæ, deuote aſſiſtant, & optimum eſſet inducere, ut Cōmunitates ſtatuerent, ut ſaltem unus de qualibet domo ad iſtas proceſſiones conueniret cum deuotione celebrandas, inhibēdo, ne choreæ aut in eundo, aut in redeūdo, quoquomodo fiant, aut cōmeſſationes, aut ebrietates.

## Quod omnes ueniant ad proceſſiones. C. 8.

QVum commune uotum communis ſequi debeat oratio. Præcipimus omnibus Præsbyteris Nobis ſubditis, & aliis ſacris ordinibus initiatis, ut omni ceſſante excuſatione, in huiuſmodi proceſſionibus, cum ſuis ſuperpelliciis deuote, & cum ſuis Curatis, aut Vicariis con

Digitized by Google

tinue aſſiſtant,& compareant. Item religioſos iuxta approbatam cõſue tudinem, tam ordinaria, q̃ Apoſtolica auctoritate Præcipimus, & uolu mus teneri &obligatos eſſe ad ueniẽdũ perſonaliter cũ ſuis Crucibus ad iſtas proceſſiones,& comitañ.curatos, ſeu parochianos locorum,& can tandum in itinere Lætanias, Pſalmos, & Hymnos.

## Quod curati moneãt parochianos ad cõfeſſiones. C. 9.

QVoniã ex fide dignorũ relatu percepimus, & utinam uerũ nõ eſſet, quãplurimos Ciuitatis, & Dioc. Veroneñ. Vtr. Sex. primarios, Parochianos, ac patresfamilias, ad confitendum peccata ſua, remiſſos, deſides, & pigros eſſe adeo, ut confiteri differant uſq; in finem. Quadrageſimæ, quo ſane tempore, eccleſiarũ Rectores circa diuinum officium perſolueñ. necnon in auditione aliorum, uidelicet filiorum & filiarum, ſeruorum, & ancillarum non modicum occupantur, taliter ꝙ huiuſmodi ſuos Parochianos nullatenus poſſint in ſuis confeſſionibus inſtruere, ac neceſſarias & ſalutares interrogationes facere, ac illis minus debite conſcientias ſuas exonerare. Statuimus & ordinamus, ꝙ ſinguli Prædicatores, & Præsbyteri Curati ſingulis diebus Dominicis a Septuageſima incipientes moueant primarios Parochianos ſuos Vtr. Sex. ac patresfamilias de confitendo peccata ſua ante dominicam in Paſſione cõminando & proteſtando, quod ſi ipſi principales Parochiani ſic facere contempſerint, non admittentur pro deſidiæ ſuæ pœna, & pro tanti ſacramenti Reuerẽtia, ad cõmunionem, niſi poſt octauas Paſchæ, & ultra, in quo tempore ieiunium imponatur pro pœnitentia, ſicut in Quadrageſima, niſi urgens interuenerit neceſſitas.

## Exhortationes faciendæ ad Cõmunionem. C. 10.

ET ſi ſcriptum reperitur, compelle eos intrare. Nolumus autem prædicta uerba ita ſtrictæ accipere, ꝙ debeant homines in peccatis perſiſtentes ad communicãdum ſe (quod abſit) per parochianos compelli, ſic enim iudicium ſibi manducarent, & biberẽt. Volumus autem, ꝙ exhortationes fiant opportune, & importune, arguendo, obſecrando & increpando, ut ſe ad tantum ſacramẽtum præparare uelint; exempla & auctoritates, prout dominus dederit, adducẽdo, ſi enim pœnitens dicat, non poſſum parcere, inſtet ſacerdos in oſtendendo errorem ſuum, Quũ beatus Auguſtinus dicat, de diligendis inimicis, nullum unq̃ excuſare ſe poſſe in ueritate, Ais, hodie non ſum præparatus, uellem terminum hinc ad quinque, uel ſex Menſes, quod pignus habes frater (inquit B. Chryſoſtomus, quod eo tempore, eris paratior, quam nũc es, quis autem tutum te reddit, ꝙ hinc ad breuiſſimum temporis ſpatium uiuus eris? ideo frater, Apoſtoli conſilium capiendum eſt præcipientis, ut dum tempus ha-

bemus, operemur bonum. Pater inquis, litem inſtitui, fili & frater etiam non prohibet dominus, qui portio tua eſſe debet quominus, quod ad te iure ſpectat, conſequaris, teneris rancorem dimittere, & iniurias obliuiſci, & adhuc ſalua conſcientia actionem retines. Pater uerſor in euidenti periculo, tot inimicos habeo, ut nullo in loco tutus conſiſtam. Cui ergo fili potius adhærere uolueris, quam Chriſto benedicto, illi igitur te concilia, illum tibi conſtitue protectorem tuum, ſi enim deus pro te, quis cõtra te, fac fili, quod dominus ſit ſpes tua, fortitudo tua, & protectio tua, & ipſe apprehendet arma, & ſcutum, & exurget in adiutorium tibi, Rurſus ſi inſtet pœnitens, perturbatum animum habeo, quis facilius pacare poterit, quam Rex pacificus, qui eſt pax noſtra, & in reconciliationem noſtram datus eſt, & ſic curati totis uiribus ſuis ſtudeant dante deo incrementum, ſaluum facere, quod perierat. Nulli quoq; exemplum deeſt, quomodo iam in hac dioceſi diſpoſitio canonis in uiridi obſeruantia exiſtat circa cadauera illorum, qui abſq; ſacerdotis ſui cõſilio in paſcha te cõmunionem diſtulerint, qui aſini ſepultura ſepeliuntur.

¶ Vt moneant parochianos, q; quando ſunt infirmi prius ſpiritualem, q̃ corporalem medicum uocant. C. II

ITem præcipimus omnibus eccleſiarum Rectoribus, ut ſæpius moneant parochianos ſuos, ſi contigerit eos infirmari, prius ſpiritualem ſibi confeſſorem, q̃ corporalem quærere medicum, & quia adhibita ſpirituali medicina melius proficit corporalis, ideo ipſis Medicis ad infirmos uocatis præceptum eſt, ut ante omnia infirmum ad confeſſionem inducant, Quibus intiment etiam ſæpiſſime ſi ultra duas uices ad infirmos acceſſerint, qui confiteri, aut diſtulerint, aut neglexerint iuxta edicti noſtri in hac materia, alias per Nos promulgati tenoré, quod etiam hic inſeruiſſe placuit, ut illud pro iugi obſeruantia ualeat ſæpiſſime per curatos, & Prædicatores populo inſinuari.

INiunctum nobis curæ paſtoralis officium, Nos excitat, & inducit in crediti Nobis populi periculis non ſilere, & ne mors in miſeras & incautas animas atrocius, q̃ in ipſa corpora omnino moritura deſæuiat, quãtum poſſumus, prouidere. Dudum ſiquidé ſe. re. Innocẽtius pp. III. prudenter attendens, q; infirmitas corporalis nonnunq̃ prouenit ex peccato, dicẽte domino languido, qué ſanauerat, Vade & noli amplius peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Quodq; nonnulli in ægritudinis lecto iacentes, quum eis a medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis laqueum incidunt, unde facilius periculum mortis incurrunt, Statuit in concilio generali, & diſtricte præcepit medicis corporum, ut quum eos ad infirmos uocari contigerit, ipſos ante omnia monerent, & inducerent, ut aduocarent medicos animarum, ut



Digitized by Google

poſtq̃ foret infirmo de ſpirituali ſalute prouiſſum, procederetur ſalubrius ad remedium medicinæ corporalis, quum cauſa ceſſante, ceſſet effectus. Decernens, ut ſi quis medicorum eiuſdem conſtitutionis, poſtq̃ publicata eſſet, transgreſſor extitiſſet, tádiu ab ingreſſu eccleſiæ arceretur, donec pro transgreſſione hmõi ꝑpter ſatisfecerit competenter. Verum quoniam conſtitutionem huiuſmodi uergentis in ſenium ſæculi corruptelam multorum fertur negligentiam, ne dicamus in obedientiā præterire, eam decreuimus infraſcriptæ pœnæ adiectione iuuandam. Quocirca uniuerſos, & ſingulos medicos in eiſdem Ciuitate & Dioc. Veronēn̄ nunc & pro tempore exiſtentes tenore præſentiū Monemus, & hortamur in Domino, eisq́ nihilominus & eorum cuilibet in uirtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excõmunicationis ac interdicti ingreſſus eccleſiæ prædicti pœnis Præcipimus, & mandamus, ut quum eos ad infirmos utriusq́ ſexus uocari contigerit, tam ſalutarem conſtitutioné huiuſmodi ſtudeant inuiolabiliter adimplere, carnis interitū minime metuētes, ut ſpūs ſaluus fiat, quū aīa multo ꝑcioſior q̃ corpus eſſe noſcat.

## Quod ſacerdos requiſitus uadat ad infirmū. C. 12.

SOliciti ſint ſacerdotes pœnitentiare, & cõmunicare infirmos, & ſanos, non ſolum, cum fuerint requiſiti ſed ꝙ ipſimet ſeſe offerant ad exhibendum eccleſiaſtica ſacramenta, in quibus miniſtrandis, quoties conſtiterit, ſacerdotem aliquem negligentem fuiſſe, quū a Parochiano ſuo uocatus fuerit pro eccleſiaſticis ſacramentis miniſtrandis, ſiue die ſiue nocte, ipſum arbitrio Noſtro puniendum reſeruamus.

## Pœna impediētis ſacerdotes uel notarios ire ad infirmos C. 13.

STatuimus, ut nullus de cætero publice uel occulte impediat, quo minus ſacerdotes parochiales uel notarii cum teſtibus ad infirmos intrare poſſint, quoties fuerit opportunum, & libere prout uoluerint infirmi, & quominus infirmi diſpoſitiones ultimæ uoluntatis exprimant per teſtamentum, uel aliam quācunq́ uoluntatem; & ſi quis directe uel indirecte per ſe, uel alium contrafecerit, ex nunc, prout ex tunc, & e conuerſo, excõmunicationis ſententiam in eum promulgamus, hancq́ conſtitutionem ſæpiſſime publicari in eccleſiis, Mandamus ne quis ignorātiam prætendere ualeat: & admoneant ꝙ ultra pœnam in præſenti noſtra conſtitutione contentam tenentur leſis pro commodo ſeu lucro, quod ex teſtamento ſeu alia diſpoſitione reportaſſent ſatisfacere.

## De officio ſacerdotum, quibus eſt commiſſa cura diuerſarum eccleſiarū, & ꝙ nō audeant concedere litteras teſtimoniales. C. 14.

Digitized by Google

INſuper ad omnia remouenda ſcandala, & ut cautius omnes incedant, & quæ ad ſuum ſpectant officium, peragant, ſacerdotes illos, quibus plebium, ac eccleſiarum diuerſarum curam commiſimus, & in futurum committemus, eorum prudentia, uigilantia, fide. uita, & moribus plurimũ confiſi, Monemus, eiſq; in uirtute ſanctæ obedientiæ Mandamus, ut quoties commode potuerint, eccleſias ſibi commiſſas, & loca fidei ſuæ credita perluſtrent diligenter, inquirendo de ſacerdotum uita, moribus, conuerſatione, & quomodo in debito parochianis ſuis impendendo ſe habeant, an permittant eccleſias debitis defraudari obſequiis, & illis in diuinis non deſeruiri, an ea, quæ Nos pro urgẽte neceſſitate, & pro eccleſiarum reparatione expẽdi & fieri, in uiſitationibus noſtris iuſſimus, & iubebimus in futurum, re ipſa preſtentur, & executioni demandentur, & Nos de omnibus certiores faciant, quanto ſæpius potuerint, ad Nos, uel Vicarium noſtrum ſemel ad minus in menſe minutiſſima quæq; ſcribendo. qui autem uel mendaces, uel negligẽtes reperti fuerint, pro mendacii uel negligentiæ modo grauiter punietur. Nullus autem præfatorum, etiam quacunq; generali facultate per Nos eis conceſſa ſuffultus, audeat, ſeu præſumat alicui præsbytero q̃uis probatæ uitæ e Ciuitate & Dioc. noſtra diſceſſuro teſtimoniales litteras cõcedere, quarum conceſſionem utpote rem maximi momenti Nobis & officio noſtro ſpecialiter reſeruamus.

¶ Quod parochianis prouideant Curati, anteq̃ diſcedant e & ſua parochia, & maxime infirmis. C. 15.

AD Animarum uitãdum periculum, Tollendãq; laicorum indignationis, & murmuris occaſionem, & ferendam infirmis conſolationem, omnibus eccleſiarum Rectoribus Iubemus, ut quantominus poſſint parochiam ſuam etiam ad breue tempus deſerant, memores q̃ diabolus tanq̃ leo rugiens continue circuit quærens, quem deuoret, niſi ex aliqua urgente neceſſitate, qua etiã exiſtente anteq̃ e parochia ſua diſcedant, publice inquirant, ſi in ſua parochia fuerint infirmi, & quos infirmos cognouerint, etiam non uocati uiſitent, & ſaluti animarum ipſorum, prout opportunum fuerit, prouideant. Inſuper inquirant, ſi fuerint aliquæ mulieres grauidæ partui proximæ, ſicq; omnia diſponant, ut negligentiæ nõ poſſint accuſari, & nihilominus tali cautione præmiſſa diſcedentes alicui probo uiro uicinæ parochialis eccleſiæ Rectori curã huiuſmodi cõmendẽt, qui occurrẽtibus caſibus, interim prouidere ualeat.

¶ De Cura habenda circa infantes expoſitos. C. 16.

VNuſquiſq; ſobolem ſuam nutriat, q̃ ſi propter nimiam paupertatem, egeſtatemq; exponendam putauerit, Pietatis domum habet,



Digitized by Google

Quam nos nimiũ grauari nolentes, ut facilius, & cõmodius pietas hæc exerceatur in uere pauperes, qui filios ſuos non habentes, unde eos aliter alant, coacti exponunt, ſub pæna excomunicationis latæ ſententiæ parentes illos, qui carnem ſuam deſpicientes, & relegato pietatis officio, liberos ſuos expoſuerint, uel exponendos curauerint, aut expoſitos ſciuerint, ſi eorum facultates, ac patrimonii uires ſuffecerint, cogimus ad reſficiẽ. dictæ domui omnes impenſas, uel cum illius Magnificis gubernatoribus conueniendum, ſcientes quoq; in uirtute ſanctæ obedientiæ iuſto ceſſante impedimento teneri uolumus ad reuelandum expoſitorum infantium parentes infra. xxx. dies Nobis aut Vicario, noſtro, aut dictis Magnificis gubernatoribus, quorum ſolertiam, & nos, in quantum poſſumus, coadiuuantes, Rogamus in Domino uniuerſos & ſingulos Ciuitatis & Dioc. noſtræ presbyteros, ut frequenter tam in eorum eccleſiis, quam extra, quoties opportunum fuerit, cum omni charitate huiuſmodi infantes eorum nutricibus precio a dicta domo ad eos lactañ cõductis, infra parochiarum ſuarum limites cõmorantibus, cõmendent, ut eos non minore cura atq; diligentia quam proprios alant, & foueãt, eos ſignum crucis, & cętera chriſtianę religionis rudimenta edocentes, atq; nolint mercede illa parua ſolum allectę, ſed dei amore, qui erit ſibi merces magna nimis, miſeros illos infantes, tanq̃ catulos, aut tanq̃ inceſtuoſos, & male natos deteſtari, & abhorrere, quum naſci de Adulterio non ſit eius culpa, qui natus eſt, ſed illius, qui generauit, & ipſi quoq; ſint filii dei, & coheredes chriſti, qui ideo non ſolum de alienigenis cõmixtionibus, ſed etiam de adulterinis naſci uoluit, nobis magnam fiduciam p̃ſtans, ut qualicunq; modo naſcamur, dũ tamen eius ueſtigia imitemur, ab ipſius corpore non ſeparemur, cuius per fidem membra effecti ſumus, Ad hæc de ea uerbali exhortatione non contenti Sacerdotes. Aſſumptis ſecum duobus uel tribus de parochia, qui ſint probatæ uitæ, ac boni Teſtes, uiſitent ſi non frequentius, ſaltem ſemel in menſe, ſingularum hmõi nutricum domos, atq; diligenter perquirant, quõ hmõi expoſiti tractentur, ſi eiſdem neceſſaria impendantur. Nobis poſtea, quicquid inuenerint, fideliter Relaturi.

¶ Vt moneant Parochianos ſuper inſtitutione propriæ familiæ, & de tollendo ſtabulorum abuſu. C. 17.

NOn deſiſtant etiam ſacerdotes parochianos ſuos diligenter monere, ut quilibet ſolicite uigilet ſuper filios, & filias, quibus cum uerſentur, quiq; domos ſuas frequentent, Puellas quoq; cuſtodiat a conuerſationibus & confabulationibus quorũcunq; etiam affinium, & cõiunctorum, q̃ in dominicis diebus, & in ſolẽnitatibus ſanctorum non uacent tripudiis, aut ſaltationibus turpibus, aut aliis cantilenis, ſed magis diuinis officiis, non ſe fucis, aut aliis pigmentis pingant, Non permittãt

filios & famulos, quos occupant in alendis pecoribus, miſſas, & alia diuina officia in diebus feſtis omittere, & ſi aliter fieri non poteſt, ꝙ ſe adinuicem coadiuuent, & concordent, quod ſaltem alternis diebus feſtis faciant illos miſſas audire, & alia diuina. Itaq; qui in proximo die feſto miſſam non audierit, illam audiat in ſequenti, & ille, qui audierit, pecora cuſtodiat. Item ꝙ unuſquiſq; inuigilet ſuper eoſdem, ne quid turpitudinis per eos exerceatur, Illuſtret, ac recenſeat ſaltem ſemel ſingulo anno, ſi nõ frequẽtius, familiam ſuam, ſi omnes chriſtiane uiuant, ſi omnes, ſeu quilibet ad ętatem legitimam prouectus ſit, peccata ſua confeſſus, & eucharíſtiá ſuſceperit. Moneátur quoq; familiares, & domeſtici ad gratias ſemper ageñ. deo, priusq̃ cibum ſumant, & etiam ſumpto cibo, & hoc tam in prandio, q̃ in cæna, eos autem, quos blaſphemos, uel alio uitio laborantes, uel ſanctæ matris eccleſiæ præceptis non obtemperantes inuenerint, nequaquam domi ſuæ manere permittant, quum etiam pro ſubditorum ſuorum exceſſibus rationem deo reddere quilibet teneatur, dicente Propheta, ab alienis parce ſeruo tuo, eos etiam, quum opus fuerit, benetractét, memores eos, & ſi ſerui ſunt, homines tamen eſſe, & proximos ac fratres noſtros, quum ex eodem parente originem omnes trahamus. Nihil inter nos & ipſos in his, quæ naturæ neceſſaria ſunt, differre putemus. Interdicant omnino domeſticis ſuis abuſum illum accedendi Hiemali tempore ad ſtabula, ut ibi luxurientur perſonati cum mulieribus illis, quæ frigoris aſperitate coactæ nocte præſertim eo conuenire ſolent, quum ex eo conuentu, ac ſexuũm commixtionæ quæ liberiorem luxuriandi occaſionem prebet, tot fraudes, tot familiarum excidia, tot ſcandala, tot homicidia, tot adulteria, tot uirginum corruptiones, tot clandeſtina matrimonia exoriri compertũ ſit. Quem abuſum, & tanq̃ peſtiferũ quendam morbum nos tollere cupientes, Mandamus in uirtute ſanctæ obedientiæ, Vniuerſis & ſingulis curatis, ꝙ niſi poſt canonicas monitiones debitis interuallis factas paruerint, a diuinis omnino ceſſare debeát.

## De puerorum Magiſtris, & pedagogis, & ne in ſcholis legantur laſciui Authores. C. 18.

QVum a teneris aſſueſcere multum ſit: & non expediat teneros adhuc Adoleſcentium animos, laſciua, & impudica opera auſcultare, monemus omnes, & ſingulos parentes, tutores, & curatores, ꝙ ſummã diligentiam adhibeant in eligendo, quibus præceptoribus utantur liberi ſui, & pueri illi, quorum tutelam ſuſceperunt, quos ſemper ex melioribus optimos inueniant, qui Religioſi ſint, ac bene morati, & deum timeant, laſciuos & ſcandoloſos authores abhorreant, & non tantum litteras, quantum bonos mores, quantum chriſtianam uitam profitentes, quum enim in maleuolam animam non intraturam ſapientiam ſcriptũ

Digitized by Google

ſit, oportet eorum animas, priuſq̃ linguas diſertas fieri, ſummam quoq; diligentiam adhibeant in eligendis pedagogis, quorum cuſtodiæ liberos ſuos credunt. eſt enim obſeruatum, magna cum difficultate tolli poſſe uitia illa, quibus tenera adhuc ætas, uel pedagogorum, uel magiſtrorum culpa, uel parentum incuria imbuta ſit, quæq; una cum ętate excreuerint.

Quod in populo numeroſo conducatur unus præceptor. C. 19.

QVum nulla melior hæreditas, & firmior poſſeſſio a parentibus filiis ſuis uirtute relinqui poſſit, moneant Sacerdotes curati, ſiue ipſi adhoc idonei ſiue non idonei fuerint, ut curę ac eccleſiæ liberius uacare poſſint, Sindicos, Maſſarios, & Conſiliarios locorum, & maxime populoſorum, q; pro inſtituendis pueris conducant publice præceptorem aliquem, quem prius Nobis aut Vicario noſtro præſentare teneantur, ut ipſos coram ad fideliter munus ſuum exequendum monere, & hortari Valeamus, In qualibet autem ſchola, Volumus q; ad minus in ſero pueruli paruuli, priuſq̃ Domum dimittantur, genibus flexis omnes alta & intelligibili uoce dicant orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, ſalue Regina, Symbolum Apoſtolorum, & ſignent ſe ſanctiſſimo ſigno crucis.

De Congregandis & erudiendis pueris in eccleſiis. C. 20.

EX ſtudiis ſuis intelligetur puer, ſi recta, & munda ſint opera eius, & adoleſcens iuxta uiam ſuam ambulans, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea. Deploranda, equidem noſtre tempeſtatis & uere tempeſtatis calamitas, in qua plurimi etiam ſenes & patres familias reperiũtur, qui quum diuerſa ſtudia, diuerſas artes calleant chriſtianę profeſſionis, appareant penitus imperiti. In qua tamen ꝓfeſſiõe ꝓficere tam pro ſua q̃ aliorum præcipue quibus præſunt inſtitutionę neceſſarium fuerat, nã quomodo ſcient aut docebũt alios, quod neſcierint ipſi fugere, aut illud qđ ignorauerint exercere? Proinde quum, pueros diebus ferialibus in ſeculi diſciplinis modis ſuperius expreſſis erudire cupiamus decens eſt, ut diebus feſtiuis ſtudiis chriſtianæ inſtitutionis intendant. Cupientes igitur, ut feliciter inchoatum felicius proſperetur inſtitutum. Quo diebus dominicis, & feſtiuis pueri, & alii in ætate tenera conſtituti, qui diebus huiuſmodi (prout ætas illa in malum prona eſt) ad ludos, rixas, & alia illicita diuertere conſueuerunt, in eccleſiis conuenientes chriſtianæ religionis rudimenta aliaq; ad ſalutem neceſſaria doceantur, omnes & ſingulos rectores, & capellanos prædictos, aliaſq; pſonas eccleſiaſticas hortamur, & rogamus in domino, ut huic operi ſedulo ſtudeãt, & inuigilẽt, Paruulos ipſos eiſdem diebus in eccleſiis congregando, Diſciplinis ſanctiſſimis imbuendo, & dirigendo, eos exhortando, ut librum interroga-

Digitized by Google

terii Preceptoris & diſcipuli, quem imprimi fecimus, ſibi familiarem red dant, & ſaltem ſemel in menſe confiteantur, ut ſic retrahantur a malo, & conſortentur in bono, ac ad uirtutum, & gratiarum proficiant incremẽ ta, & fermento ueteri derelicto, abolitaq; ſcabra rubigine uetuſtatis no ua ſancta ac deo placens progenies exurgat iactaq; in eis ſemina in agro dominico fructus afferant copioſos. Ad quod quidem perſonæ eccleſia ſticæ alacri animo, pronaq; uoluntate intendere debent, quum iam uide rint q̃ plures ſeculares huic operi manum appoſuiſſe, a quibus ſe in hoc genere uinci, cederet in dedecus non modicum ordinis clericalis.

¶ Quod uocati ad ſanctum Chriſma conficiendum teneantur perſo naliter accedere. C. 21.

NE ſcandalum fiat propter defectum clericorum neceſſariorum in confectiõe ſancti Chriſmatis in die Cenæ domini ſtatuimus, & ordinamus, ac præcipimus: & mandamus: quod omnes illi parochiales Rectores: quibus contigerit, aut forte: aut per circulum iuxta morem ac cedere ad Nos coadiuuandum in die Cenæ domini: circa confectionem ſancti Chriſmatis: perſonaliter accedere debeant: & nõ poſſint alios pro ſe mittere: niſi ex neceſſaria: & per Nos approbata cauſa: qui omnes con gruo tempore præſentent ſe: & ſinguli habeant paramenta ſua coloris al bi, munda & honorabilia.

¶ Quod laici non mittantur ad accipiendum Chriſma: & in qualibet parochiali ſit ſua Capſula. C. 22.

VT ſacramentorum reuerentiæ: quantum cum deo Poſſumus: Con ſulamus: & ſcandalis, quæ ex ſacerdotum in curia euenire poſſent, obuiemus, Prohibemus diſtrictius: cum nõ deceat: quæ ſancta ſunt: per prophanas manus contractari: ne in poſterum ab aliquo Sacerdote ad eccleſiaſtica ſacramenta ſuſcipienda aliquis laicus deſtinetur: quod recte ignominioſum eſt, et perq̃ periculoſum: cum ex hac ſacerdotum incuria ſeu malitia multa ſcandala euenerint: & maleficia plurima ſint ſubſecu ta. Quo circa ſacriſta uel alius per eum deputatus ad diſpenſandum hu iuſmodi ſacramenta: alicui laico dare non debeat; nec etiam ſacerdoti non habenti Capſulam cum ſuis ampullis ſtanneis: & claui ſecundum morem: ſi quis autem huiuſmodi ſtatuti tranſgreſſor extiterit: Tam ſa criſta: uel alius uices ſuas gerens: quam ille: qui deſtinat: ſacerdos grauiſ ſime toties. quoties plectetur.

¶ De Cathedratico infra certum tempus ſoluẽ. C. 23.

AD Tollendum damnabilem Abuſum nonnullorum Archipresbi terorum: & aliorum Curatorum: qui tam ex iuris debito: quam ex

Digitized by Google

longæua ſeruata conſuetudine obligati ſunt in ſignum ſubiectionis: & obedientiæ: annale præſtare cathedraticum ſedi Epiſcopali Veroneñ, differentium illud exoluere uſq; in diem: qua percipiuntur ſacramenta: quaſi tunc temporis illud, ut uerbo improbo aliquorum ex eis utamur: perſoluant pro ſacramentis, cum talia & gratis; & reuerenter quiſq; acci pere & dare teneatur: Ordinamus: & hac præſenti conſtitutione Monemus: quemlibet Archipræsbiterum, uel eccleſiæ cuiuſlibet Rectorem: a quo præſtari debet cathedraticum prælibatum: ut illud per ſingulos annos: per totum menſem aprilem integraliter ſoluiſſe debeant: ſub pœna duplici contrafacieñ. in remiſſibiliter auferen͂. & officiali cum executione miſſo ad plenum ſatisfaciendi.

¶ De habendo libello Baptiſmatis, & libro Sacerdotali. C. 24.

SAcerdotes omnes Curati qui fontes Baptiſmatis habent: habeant in Baptizando librum Cathecuminorum ſeu Baptizandi, ſecundũ morem Cathedralis noſtræ Eccleſię Veroneñ. quem ob eam cauſam de nouo imprimendum Curauimus: ut omnes in Baptizando eadem forma utantur: Moſq; iſte ſeruetur per totam Ciuitatem & Diœceſim Noſtram, habeantq; præterea prædicti omnes penes ſe: qui intitulatur liber Sacerdotalis: tamq̃ Clericis omnibus & maxime: Curatis per quam Vtilem ac neceſſarium.

¶ De tenendo libro pro ſcribendis nominibus compatrum: & Baptizatorum, & q̄ nihil accipiatur per ſcriptura. C. 25.

VT legitime: quando opus ſit: probari poſſit ætas: paternitas: & filiatio tam naturalis: q̃ ſpiritualis prolis: Curatos omnes eccleſiarum Baptiſmalium Ciuitatis & Dioc. Noſtræ Admonemus, ut librum particularem habeant: in quo tam Baptizatos: q̃ compatres deſcribant: quẽ librum predictum Sacerdotes præfati teneant apud ſe, & in qualibet parochia illum perpetuo dimittant: quem in perpetuum cum omni diligẽtia cuſtodiri uolumus. Scribatur autem hoc modo. Anno tali, & die tali: Menſis talis: per me. N. præsbiterum ſeu capellanum talis eccleſiæ parrochialis talis loci, N. filius: uel filia Baptizatus uel Baptizata fuit, talis: & talis leuauerunt eum uel eam de ſacro fonte: & ad omnem ſimoniæ labẽ remouendam: Prohibemus: q̄ nullus ſacerdos Baptizans audeat pro nominibus huiuſmodi ſcribendis præcium: aut aliquid omnino aliud etiam minimum petere: uel recipere.

¶ De Mandatis Curiæ Epiſcopalis exequendis. C. 26.

QVoniam nonnulli eccleſiarum Rectores: ſeu Capellani Dioc. Noſtræ ad exequendum Mandata noſtra: ſeu Vicarii noſtri remiſſi,

Digitized by Google

& negligentes reperiuntur, ea propter Mandamus & diſtricte in uirtute ſanctæ obedientiæ Præcipimus omnibus & ſingulis præsbyteris, & clericis ciuitatis & Dioc. noſtræ, quatenus diligenti cura huiuſmodi mandata noſtra, & officii noſtri citationes, monitiones, ſuſpenſiones, excõmunicationes, fructuum ſequeſtrationes pro fabricis faciendis, & alias litteras noſtræ curiæ Epiſcopalis ſine mora exequãtur, fidelemq; in ſcriptis de earum executione, & exequendi modo relationem per executionẽ eorundem ſignatã mittant: al's negligentes in Epiſcopali palatio coram nobis perſonaliter præſentandos curabimus, graui pœna pro negligentie modo in eos animaduerſuri.

Vt eccleſiæ principales uiſitentur, a beneficiatis, & capellanis eccleſiarum ſubditarum. C. 27.

ORdinamus & præſenti conſtitutione ſtatuimus, ut omnes rectores eccleſiarum quæ ſunt alicuius plebis capellæ, aut alicui eccleſiæ ſubiectæ quoquo modo, in die ſabbati ſancti teneantur ire omni anno cum ſuis cottis ad ſuas Plebes, ſeu matrices eccleſias iuxta morem ãdiu obſeruatum, ſub pœna lib. quinque applicandarum illi eccleſiæ, in cuius iniuriam contumaciter renuerint accedere.

Quod inquirant & denuntient hereticos, & alios criminoſos, & de publicando, ter in anno edicto impreſſo circa talium denuntiationem. C. 28.

CVpientes, quantum cum Deo poſſumus, gregi nobis cõmiſſo conſulere, & in primis omni ſtudio illum ipſum ab omni, nedum hæretica prauitate, ſed ſuſpitione tueri, & cuſtodire, & ab omni ſuperſtitione liberare, & peruerſorum audaciam & temeritatem compeſcere, Monemus omnes & ſingulos eccleſiarum Parochialium rectores, eorumq; locatenẽtes, capellanos, uicarios, uel ſubſtitutos, eiſdemq; nihilominus in uirtute ſanctæ obedientiæ, diſtricte præcipiendo cõmittimus & mandamus, quatenus omnem diligentiam, inquiſitionem, & indaginem in parochiis, beneficiis, & plebibus ſuis facere non deſiſtant, ſi aliqui inter eoſdem parochianos ſuos forte reperiantur hæretici, ſciſmatici, lutherani, uel qui ſcripta, & opera hæreticorum huiuſmodi penes ſe habeant, & ea legant, aut de illis quoquo modo referant, excommunicati, incantatores, malefici, lamii, ſeu lamiæ, uel ſtrigones, publici concubinarii, manifeſti uſurarii, uenefici, blaſfematores, ſeu Deum & ſanctos publice maledicentes, monialium uiolatores, & earum monaſteria frequentantes, & qui ſinceritati catholicæ fidei quoquo modo detrahant, ſeu qui non cõfiteantur, & ſacram Euchariſtiam ſaltem ſemel in anno non recipiant,

uel qui gentilium,& paganorum more uiuant,qui ſummo Pontifici,& Epiſcopis,& aliis prælatis,& perſonis eccleſiaſticis detrahant,& maledicant,eoſq;,ſi quos inuenerint, ex nunc debeant ac teneantur nobis, ſeu Vicario noſtro denuntiare,ut nos Domino concedente cōtra huiuſmodi pernitioſos homines inſurgere,eoſq; iuſto Dei iudicio cōpeſcere, uel ad correctionem,& ſalutarem pœnitentiam reducere poſſimus:& ut ſingulis innoteſcere ualeat res tanti momenti, edictum noſtrum iam impreſſum circa denunciationem hereticorū per curatos in earum eccleſiis infra miſſarū ſolennia populi multitudine aſtante ter in anno publicari uolumus & mandamus,uidelicet in menſe Settembri,in natiuitate Domini,& tertia dominica quadrageſimæ.

## Edictum contra hereticos.

MAndato Reuerendi D. Epi Veroñ.& legati apoſtolici etiā ſuper exemptos,quibuſcunq; tam eccleſiaſticis,q̄ ſæcularibus perſonis cuiuſcunq; ſtatus,gradus,ordinis,& conditionis exiſtant,in uirtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna præcipitur, quatenus omnes & ſingulos, quos ſciant, uel in futurum ſciuerint Lutherana,uel alia qualibet hæreſi infectos,ſeu de fide catholica male ſentiētes, aut de ea,& ſacramentis & eccleſiaſtica poteſtate obloquētes,uel eorum credentes,fautores,receptores,ac defenſores,& hereſi ipſa diffamatos,ſeu ſuſpectos, uel libros hereticorum, ſeu de hereſi ſuſpectos habentes, in termino dierum nouem,a die publicationis præſentium,uel poſtq̄ præmiſſa ad eorum notitiā peruenerint, quorū dierum tres pro primo,tres pro ſecundo, & reliqui tres pro tertio ultimo, & peremptorio termino, ac trina canonica monitione, eiſdem aſſignantur,præfato Reuerendo D. Epiſcopo,ſeu eius D. Vicario propalaſſe & indicaſſe debeant.

PRæterea omnibus & ſingulis archipræsbyteris,& parochialium eccleſiarum rectoribus,ſeu eorundem loca tenentibus mandatur, q; præſentes litteras in eorum eccleſiis inter miſſarum ſolennia publicare toties quoties in ſuperiore conſtitutione expreſſum eſt,& expedire uidebitur,debeant,grauitatem,malignitatem hereticæ prauitatis explicando. Inuigilēt inſuper pro hac peſte indagāda,& ſiquid inuenerint(quod abſit)præfato R.D.Epo ſeu eius D. Vicario referant.

Dat.in noſtro Epiſcopali palatio die.5.Martii.1541.

## ¶Exhortatio per curatos ad populum facienda ad tollendas ſuperſtitiones. C. 29.

AD delendas ſuperſtitiones, & quaſdam rudium deuotiones,conentur curati illos ueri capaces reddere,demonſtrando eis,quēadmo-

Digitized by Google

dum debent confidere ſoli Deo. & omnia in deum dirigere,& deuotio-nem,quam habent erga ſanctum quempiam ea intentione dirigere debent ut in ſancto illo deum uenerentur,quandoquidem ſancti ſunt mē bra Chriſti,& templum Dei,& ꝙ eo potiſſimum ſanctos ipſos nobis cō ciliamus,quo ipſorum mores ad dei ſeruitium imitamur,& ꝙ cum precamur ſanctos,ſimul & deum precari debemus,ut concedat ipſorũ ſanctorum preces nobis proficere,quando nos indigni ſumus, nō ipſorum ſanctorum cauſa,non enim ualent, ſed propter Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, quemadmodum habent uniuerſalis orationes eccleſiæ, quæ dicuntur Collectæ ad hoc,ut omnis populus intelligat. neq; Chriſtum,neq; ſanctos paſſos eſſe, ut nobis temporalium rerum copia proueniret,ſed ut æternarum rerum nobis fidem facerēt. Itaq; quoties pro aliqua cōſequēda gratia,uni uel pluribus ſanctis ſupplicāt ſupplicēt etiā Deo,a quo ſancti ipſi ſunt petituri,petantq; ſemper eo modo,quem nos docuit chriſtus,uidelicet ꝙ id,quod petimus,aſſequi optamus,quatenus non repugnet eius uoluntati,ita ut nō noſtra,ſed fiat uoluntas ſua, qui ſcit omnia,& amat nos magis,quam noſmetipſi,qui rerum ignari ſæpe anxie petimus,quæ nobis poſtea nocitura ſunt.

## DE SACRAMENTIS ECCLESIASTICIS, ET ILLORVM VSV, ADMINISTRATIONE ET SACRORVM VENERATIONE TITVLO QVINTO.

### ¶ De aqua ſancta. C. I.

SAcerdos quilibet curatus populum aqua benedicta cum deuotione aſpergat,quam prius omni die dominico exceptis Paſchali,& Pēthecoſtes, benedici uolumus, qua & Altaria, & Plebes aſpergantur ad quod ſolum agendum,ſpeciale mundũ & decens uas habeatur.

### ¶ De cuſtodia & loco Euchariſtiæ. C. 2.

CVm in uiſitationibus ciuitatis & Dioc. noſtræ quas & per nos, & per alios per nos delegatos ſuperioribus annis faciēdas curauimus ſacramentum magnum, quod eſt Euchariſtia, in multis locis, non ita digne,atq; in loco honorabili,prout decet,repertum eſt. Mandauimus, & ita denuo preſenti conſtitutione mandamus ꝙ in qualibet Parochiali eccleſia,in qua Euchariſtia in conuenienti loco non tenebatur,tabernaculum ligneum pulcrum cum ſua Claui fiat, & ſuper Altari magno collocetur,& ita bene,& firmiter ſtabiliatur, ut inde per ſacrilegas manus auelli nullo modo poſſit,ut ſic Euchariſtia ſit in loco ſingulari, mūdo & clauſo,& conſeruetur in ſuo tabernaculo,non ex uitro, aut ligno,



Digitized by Google

aut ebore,ſed honorabili,in plebibus ac locis pinguibus ex argento, in aliis uero, ex auricalco deaurato ſecundum formam per nos oſtenſam cum ſuo corporali,cum ſuo ſericeo uelo.

## De innouando ſacramentum ad minus bis in mēſe., C. 3.

QVum inter cæteras admonitiones, quæ ordinandis in ſubdiaconos dantur,ea potiſſimum ſoleat eſſe,Oblationes quæ ueniunt in Altari,panes propoſitionis uocantur,de ipſis oblationibus tantum debet poni in altari,quantum poſſit populo ſufficere, ne aliquid putredinis in ſacrario remaneat,ea propter ſcientes,quod ad hoc multo magis ſacerdotes tenentur.Statuimus,& ordinamus,ut omnes iuriſdictionis noſtræ ſacerdotes, animarum curā, & Euchariſtiæ adminiſtrationem in Eccleſiis ſuis habentes,ſi perſonaliter reſideant, alioquin hi,qui uices eorum gerunt,ad minus bis in menſe Euchariſtiam infirmorum cauſa reſeruatam ſumant,& nouam parent.

## Quod continue ante corpus Chriſti ardeat lāpas. C. 4.

MOnemus etiam quoſcunq; eccleſiarum,uel beneficiorum, dignitatum,uel officiorum eccleſiaſticorum quorumcunq; curā animarum habentium, rectores, cōmendatarios eorumq; uices gerentes, ſurrogatos,uel capellanos pro tempore exiſtētes ut ante ſacramentum, quod eſt lucis candor æternæ,lampadem ſemper die noctuq; ardentem conſeruent,quum in lege mandatum ſit per dominum,ignis ſemper ardebit in altari meo,ſeruato more,& conſuetudine cuiuſq; loci, etiam ſi quis alius in honorem ſacramenti, & in remiſſionem peccatorum ſuorum,lampadem accenſam ſumptibus hæreditatis ſuæ teneri in teſtamēto aut legato,aut alio quouis modo reliquerit, ſub pœna ſolita denuntianti,& hoc cum ſaltem uno teſte,& eius iuramento comprobanti,pro dimidia,& pro altera dimidia,in alios pios uſus,prout nobis uiſum fuerit,diſpenſanda,quam pœnam rectores ipſi,ſeu beneficiorum cōductores,aut eorum capellani, ſeu illi, qui ex antiqua conſuetudine obligati ſunt ad manutenendum prædictam lampadem accenſam,ſiue ſint laici eccleſiarum illarum parochiani,ſiue clerici,toties quoties cōtrafactum erit,eo ipſo ſine aliqua exceptione incurrant.

## De modo ſeruando,quando Euchariſtia defertur ad infirmos. C. 5.

QVum autem ſacerdos Euchariſtiam ad decubantem deportauerit,eam,quam duplicatam ad minus habeat,in habitu decenti,ſed

Digitized by Google

cum ſuper pellicio, ſtola, ſeu orario ſuper poſito mundo uelamine ferat, & referat manifeſte, ac honorifice ante pectus cum omni reuerentia, & timore, ſemper lumine ac campanella præcedétibus, ut éx hoc apud omnes, fides & deuotio augeatur. & ſi opus etiam fuerit, moneatur populus, ut ſe reuerenter inclinet. In qualibet igitur parochiali eccleſia ſit una lanterna honorabilis aurata cum ſuo baculo in uſu habenda, ne in itinere, aut uentorum turbine, aut nimborum ui, lumen deficiat.

¶ Super eodem, & de indulgentia aſſociantium corpus domini noſtri Ieſu Chriſti, & de ſigno dando cum campana ad inuitandum aſſociantes. C. 6.

VT autem feruentius homines excitentur ad aſſociandum ſacramẽtum corporis domini noſtri Ieſu Chriſti, cũ ad infirmos defertur, omnibus uere pœnitentibus, & confeſſis, qui ſacerdotem Euchariſt iam ad infirmos, ſic (ut præmittitur) deferentem, eundo & redeundo reuerenter, & deuote aſſociauerint, uel ſecuti fuerint, cum lumine a ſe portato, ſiue die, ſiue nocte, toties, quoties fecerint id, quadraginta dies de iniunctis ſibi pœnitentiis præter indulgentias auctoritate apoſtolica con ceſſas, auctoritate noſtra ordinaria nunc in domino relaxamus. Adiicientes, ꝙ in qualibet parochiali eccleſia, mos iſte introducatur, ut priusq̃ ſacerdos accedat infirmum cum ſacramento, ſemper pulſetur Aue Maria, & dentur quædam ſigna ad inuitandum populum ad iſtud piiſſimum opus, & prædictam indulgentiam conſequendam. Laudabile ſane inſtitutum eſſet, ſi quoties ſacramentum ad infirmos defertur, unus ſaltem pro qualibet domo & familia cæteris occupatis ad aſſociandum ſacramentum uenire obligaretur, ad quem uſum omnes apud ſe retineant unam candelam.

¶ Quod in qualibet parochia introducatur ſocietas corporis domini noſtri Ieſu Chriſti. C. 7.

SI dominum in ſanctis eius laudare iubemur, dignum profecto, & iuſtum, & ſalutare uidetur, & nobis exiſtit, ut ſibi in ſui, quo nos quotidie ſpiritualiter reficit, memoriam ſacratiſſimi corporis, deuotam aliquam ſocietatem excitemus, quæ fidelium animos repleat gaudio ſalutari, & cum infuſione lætitiæ deuotionis lachrymas ſubminiſtret. Hortamur igitur, ꝙ in qualibet parochiali eccleſia ciuitatis & Dioc. noſtræ Veronẽ. ſit una uenerabilis ſocietas in honorem ſacratiſſimi corporis domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ ut facilius inchoetur, & manuteneatur, ac amplietur, & in eadem ſocietate fratres deſcripti feruẽtius in tam pio propoſito perſeuerent. indeſcripti uero ad ſe huiuſmodi deuoto congregandum conſortio promptiores, & alacriores aduolent, omnibus, & ſin

gulis utriuſq; ſexus Chriſti fidelibus uere pœnitentibus, tam præſentibus quam futuris, eiuſdem ſocietatis confratribus, qui dominicis ſuis ordinariis, & aliis diebus ad id deputatis, tabuletas ſuas leuauerint, uel dictam ſocietatem intrauerint, & manus porrexerint adiutrices, de omnipotentis dei miſericordia cōfiſi, quadraginta dies noſtra ordinaria auctoritate, & alios quadraginta Apoſtolica nobis conceſſa de iniunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in domino relaxamus. Moneant igitur ſacerdotes, parochianos ſuos ad aſſumēdum Ieſum Chriſtum dominū pro ſocio, & confratre, exhortando, q bonum eſſet, ſi omnes Chriſti fideles eſſent in hac ſanctiſſima ſocietate ordinem ponendo circa proceſſiones in tanti ſacramenti honorem faciendas, & tantum ſacramētum aſſociandum, quum ad infirmos defertur.

## De ſocietate Charitatis. C. 8.

QVumq; in hoc ſanctiſſimo ſacramento, in quo paſſionis domini memoria recolitur, eius exuberans charitas explicetur, conueniēs quin potius neceſſarium fuit, ut ad Dei honorem & gloriā, pauperumq; ac miſerabilium perſonarum, quæ Chriſti membra eſſe cenſentur, ſubuentionem ac totius gregis cure noſtre cōmiſſi compagem, charitatis nexibus [illegible] firmiſſimis glutinis connectendam, & mutuæ pietatis officiis manutenendam & adiuuandam inſtitueretur in ciuitate Veronēſi. ſancta ac laudabilis ſocietas charitatis, circa cuius directionē & proſperum incrementum nonullas ordinationes iam edidimus, & quū ex ea quaſi adhuc in eius primordiis tot pietatis & miſericordiæ operā prodire conſpiciantur & in dies maiora ſperentur, Hortamur omnes & ſingulos eccleſiarum ciuitatis & Dioc noſtrarū rectores & capellanos, eisq; nihilominus in uirtute ſanctæ obedientiæ mādamus, ut iuxta formam litterarum noſtrarū, quas impreſſas alias per Dioc. noſtrā tranſmiſimus & pro tempore tranſmittemus, ſubditos ſuos ad manutentionem & augumētum ſocietatis huiuſmodi moneant, inducētes ipſos ad elemoſynas eidem confraternitati illius intuitu largiendum, a quo cuncta quæ poſſident, acceperunt. Ad quas quidem elemoſynarum largitiones etiam ipſi rurales ſe non debent difficiles exhibere, quaſi ipſos negocium huiuſmodi non attingat, quum præter id, quod charitas nō quærit, quæ ſua ſunt, multi etiam ex ipſis ruralibus ope eiuſdem ſocietatis captiui redimantur, litibus fatigati reficiantur, & adiuuentur, & paupertate oppreſſi releuentur, ſcituri omnes tam clerici q̄ layci, q ſi pro charitate libēter & ſolerter elaborare, & ei opem ferre neglexerint, charitatem non habere proculdubio dignoſcētur, quia charitas eſt fons proprius, cui non communicat alienus.

Digitized by Google

Viuæ uocis oraculum ſuper indulgentiis conceſſis ſocietati Charitatis erectæ in ciuitate Veronenſi.

GASPAR Miſeratione diuina tituli Sanctæ Balbinæ Sanctæ Romanæ eccleſiæ Præſbyter Cardinalis Contarenus nuncupatus, fidem facimus & atteſtamur Quod nuper poſtquam alias felicis recordationis Clemens Papa ſeptimus in ciuitate Bononienſi exiſtens ad ſupplicationem uenerabilis in Chriſto patris domini Ioannis Matthei dei gratia Epiſcopi Veronenſis Omnes & ſingulas indulgentias per quoſuis Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos Societati Charitatis almæ Vrbis cōceſſas. Societati eiuſdem Charitatis in ciuitate Veronenſi erigendæ ſeu inſtituendæ Viue uocis oraculo cōmunicauerat conceſſerat & ad illam extenderat. Accepto per Sanctiſſimum dominum noſtrum dominum Paulum diuina prouidentia Papam Tertium Quod Societas Charitatis in ciuitate Veronenſi huiuſmodi in Dei omnipotentis laudem & gloriam ac pauperum conſolationem Chriſti fideliumq; dictæ ciuitatis Veronēſis deuotionis Augmentum aſſidua ipſius domini Epiſcopi ad id præſtita diligentia, iam erecta & inſtituta exiſtebat, & in dies eo maius incremētum recipere poſſe ſperabatur, quo ingredientes Societatem huiuſmodi inibi dono cœleſtis gratiæ uberius nouerint ſe refertos, Idē Sanctiſſimus dominus noſter dominus Paulus ſimili uiuæ uocis nobis eiuſdem Epiſcopi nomine ſanctitati ſuæ ſuper præmiſſis ſupplicantibus facto oraculo cōmunicationem conceſſionem & extenſionem indulgentiarum huiuſmodi approbauit & confirmauit & quatenus opus eſſet innouauit ac de nouo communicauit conceſſit & extendit.

IN QVORVM omnium fidem & teſtimonium præmiſſorū præſentes literas manu propria ſubſcripſimus & per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi. Sigilliq; noſtri oblongi iuſſimus & fecimus appenſione communiri. Dat. Romæ in Palatio apoſtolico in camera noſtræ ſolitæ reſidentiæ ſub anno a natiuitate domini Milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono Indictione duodecima, die uero uigeſima prima menſis Aprilis Pontificatus prælibati Sanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Pauli diuina prouidentia Papæ. III. anno Quinto.

Ita eſt Gaſpar Cardinalis Contarenus ſcripſi manu propria.

C. Gualterius de mandato ſcrip.

## Quod publici concubinarii,& concubinæ,& alii enormes Notorii peccatores nõ recipiantur ad communicandum etiam cum ſigillis pœnitentiariorum,ſeu officii. C. 9.

QVum multi reperiantur,qui aut in cõcubinatu,uſuris,& aliis notoriis peccatis perſeuerantes,& ſcandaloſi,aut obligati ad reſtitutionem bonorum,promittant ſe omnino ad meliorem uitæ frugem reducere, aut infra terminum competentem ſibi aſſignatum iuxta facultates ſuas ſatisfacere uelle,& quum poſt unum,& duos, & deinceps multos annos,promiſſa non exequantur,dubitantes, ꝙ ſi eiſdem parochianis ſuis ſingulis annis confiterentur, nullo pacto abſoluerentur,in graue animarum ſuarum præiudicium a Diabolo obcecati, Confeſſores mutant malicioſe, a quibus, quum aut eis ueritas non ſit dicta,aut quum tales ſacerdotes,ſiue ex ignorantia,ſiue ex alia cauſa non confeſſores,ſed confuſores ſunt,credentes ſe abſolutos,a parochianis ſuis,eorum quaſi inuitis dentibus ad ſacram cõmunionem admitti uolunt, interceptis litteris officii, aut ſigillis noſtrorũ penitentiariorum,Mandamus ꝙ ſacerdotes curati nullo modo admittant iſtos tales concubinarios, fures,& uſurarios, ac alios adhuc in peccato perſeuerãtes ad ſacramẽtum, etiam cum dictis ſigillis,ſeu bulletis,quum impoſſibile eſſet, ꝙ tales potuerint abſolui,ſi ueritatem dixiſſent,quũ adhuc in peccato perſeuerent; & ſint ſcandaloſi,& nullam ſatisfactionis,aut pœnitentiæ partem præmiſerint.

## De reuerentia & cuſtodia ſacrorum ſacramentorũ. C. 10.

NE propter irreuerentiam ſacramentorum, ira dei ſeuiat in miniſtros,& ne ad ea,quæ ad ſalutem noſtram propoſita ſunt,temeraria manus extendi ualeat ad aliqua horribilia,uel nefaria exercenda,Statuimus,&ordinauimus,ſeu ordinamus,ut Chriſma,& oleum ſanctum, & cætera ſacramenta ſub diligenti cuſtodia ſeruentur, ipſoſq; curã animarum exercentes,etiam admonemus, ut claues ſacramentorum apud ſe obſeruent, eas in manu laicorum uel clericorum, aut iuuenum, non dimittendo,quibus cũ claues theſauri,ac pecuniæ ſuæ ueriſimiliter non dimitterent,multo minus has,per quas regni cœlorum portæ aperiuntur,huiuſmodi credere debent.

## De chriſmino ſtanneo. C. 11.

HAbeat unuſquiſq; curatus,ſuum chriſminum ex ſtanno,non autẽ ex auricalco propter rubiginem,uaſculum autem, pro oleo infirmorum ſit ſeparatum, & in piſcide honorabili teneatur cum panno lineo mundo & candido,ut eo commodius ſemper uti poſſit, & ſecurius

etiam

Digitized by Google

etiam nocturno tempore, cum quo intrans ad infirmum ad ungendum habeat ſuper pelliceum, & ſtolam, & cum debita reuerentia illud tractet.

¶ Quod ſacramenta non concedantur ad alium uſum quam per eccleſiam ordinatum. C. 12.

VOlentes ſanctum eccleſiæ inſtitutum (ſicut tenemur) ſeruare, & nullo pacto permittere, ut cõtra dei & domini noſtri præceptum, ſanctum detur canibus, & Margaritæ ante porcos ſpargantur, memores etiam in Pontificali, ubi de olei conſecratione mentio fit, inter cætera demandari, ut pontifex iubeat præsbyteris attente, ut iuxta canonum traditionem, Chriſma & oleum fideliter cuſtodiant, & nulli ſub prætextu medicinæ, uel maleficii tradere præſumant: alioquin honore priuentur. Statuimus, & mandamus, ut demandationem ſupradictam omnes diligenter cuſtodiant; contrafacientes autem, qui aliquo ſacramento eccleſiaſtico abuſi fuiſſe conuincentur, aut per ſe exercendo, aut per alios exerceri permittendo, ipſo facto laici quidem excõmunicationis, clerici uero beneficiati priuationis beneficiorum ſuorum, & exilii a Ciuitate, & Dioc. Veronẽ. non beneficiati uero, carceris annui, & poſt eum exilii pœnam incurrant.

¶ Non liceat uti ſacramentis ueteribus. C. 13.

QVia nonnulli ſæpe reperti ſunt in Ciuitate & Dioc. noſtra ſacerdotes, qui ex craſſa ignorantia, ſeu malitia per multos dies, & mẽſes, & nonnunq̃ per totum annum integrum ſacramentis nouis carentes, ueteribus abuſi ſunt, tam in Baptiſmate, q̃ in extrema unctione, non aduertentes, quod tales improbi ſacerdotes digni ſunt depoſitione ſecũdum Canonicas ſanctiones, Hac præſenti conſtitutione ſancimus, ꝙ utentes chriſmate & aliis ſacramentis ueteribus, ultra iuris pœnam grauiter punientur.

¶ De Baptiſmo, & fonte Baptiſmali. C. 14.

CIrca autem Baptiſmum, qui eſt ianua omniũ ſacramentorũ, aduertantur ſacerdotes, ꝙ aliquem non baptizent, niſi in aqua elementari, ſiue ſit calida, ſiue frigida, non refert, cum cerimoniis, & forma conſueta, non ergo in aqua roſea, ſeu uino, aut aliquibus liquoribus ſimilibus fiat Baptiſmus, Modum & formam baptizandi memoriter teneant, & habeant omnia parata ad actum baptizandi neceſſaria, cũ non ſit ſemper ocium ad librum recurrendi, & neceſſaria tam repentine quærendi, & quia etiam plures caſus repentini ſæpius occurrere ſolent, & in neceſſi



Digitized by Google

tate etiam laici Baptizare poſſunt, immo non ſolum poſſunt, ſed etiam debent, alias mortaliter peccarent. Inſtruāt ſaltem ſemel in menſe in die feſtiuo laicos parochianos ſuos, qualiter & ipſi laici in caſu neceſſitatis, uidelicet cum ſacerdotis copia haberi non poſſit, uel ſi infantes in articulo mortis cōſtituti ſint, tam mares, q̄ feminæ baptizare poſſunt, infundendo aquam ſuper infantis caput, uerba ſequentia, & non alia, attente, & cum intentione faciendi, quod intendit eccleſia, dicant, Io te Baptizō, In nome del padre, & del figliolo, & dello ſpirito ſanto. Admoneant igitur hæc ſæpiſſime ſacerdotes in eccleſia populum ſuum, ne quis ſine baptiſmo decederet. Ad hæc ſi deportaretur aliquis ad Baptiſmum, de quo dubitaretur, an eſſet baptizatus, uel ne poſt alias ceremonias in aliis ordinarie fieri ſolitas ſacerdotes, quando ueniunt ad actum illum baptizandi, dicant hæc uerba, ſe tu ſei baptizato, io non te baptezo, & ſe tu non ſei baptezato, io te baptezo, In nome del padre, & del figliolo, & dello ſpirito ſanto. Hæc ſic uulgariter poſuimus, ut inſtruatur populus, Quod ſi quis fortaſſe alicui creaturæ occurreret, quam neſciret, an eſſet baptizata, necne, & eam in extremis laborare uideret ut eam his uerbis baptizare poſſit.

### De eodem, & de Ciborio, & uaſculo tenendo pro actu baptizandi. C. 15.

QVum autem dictum ſit ſupra non aliquo liquore baptizari debere, quam cum aqua elementari. Mandamus q̄ in qualibet plebe, & parochiali eccleſia ſit unus fons baptiſmalis, ſuper quo ſit unū ciborium, prout in uiſitationibus noſtris etiam ordinauimus, iam fere per cuncta loca eſt executioni mandatum, tutum, & bene clauſum cum una claui, in quo teneatur ſemper apparata aqua baptizandi, quam omni anno benedicere in ſabbato ſancto, & in ſabbato Penthecoſtes, curati debeant, & cōtinue fons ipſe bene cuſtodiatur, ne aqua baptiſmali aliquando abuti contingat: & ut tale ſacramentum nitidius ac reuerētius tractetur, teneatur uaſculum aliquod honorabile ad hunc uſum ſolum deſtinatum, quo inſpergatur aqua baptizandi caput.

### Monitio de eo, quod ſpectat ad Compatres, ac Cōmatres, circa mores filiolorum. C. 16.

PEracto ſacramento ſacerdos Patrinis, & Matrinis, ſiue Compatribus, & Cōmatribus iniungat, ut parentes infantis ad laudandum, & glorificandum Deum excitent, qui tantam puero ſuo fecit gratiam, ut Dei filius cœleſtiſq; regni particeps per baptiſmum ſit factus, moneantq; eos, ut ab omni fortuiti euentus periculo cuſtodiant, & cū ad ætatem peruenerit, dominicam orationem, cū angelica ſalutatione, & Sym

Digitized by Google

bolo Apoſtolorum eũ diſcere, & in catholica fide edoceri faciãt. Quod ſi parentes omiſerunt, aduertat Patrinos, & Matrinas ſe ad hoc eſſe obligatos. Nam ipſi in actu illo deo promittunt, conſtituendo ſe quaſi fideiuſſores ꝙ baptizatus tempore ſuo fidelis deo erit. Hæc & his ſimilia Sacerdotes Curati non ſolum in actu illo, uerum etiam ſæpius publice in eccleſia infra miſſarum ſolennia moneant, ut omnes cautiores ſint ad obligañ. ſe tãto oneri, & magis charitatiui, ac diligẽtes, erga illos, quos iam tenuerunt.

¶ Vt infantes baptizentur infra decem dies, & de non baptizando aliquo Iudeo ſine ſcitu dñi Epi. C. 17.

ITem præcipimus, & mandamus, quod Nutrices, & Obſtetrices & Parentes, teneantur infra .x. dies a die partus, quanto citius & cõmodius poterunt, baptizari facere infantes ſuos, ſub pœna excõicationis, prohibemus etiam ꝙ nullus ſacerdos audeat baptizare iudeum, aut iudei filium, uel filiam, cuiuſcunq; ætatis ſint, excepto caſu neceſſitatis, niſi prius Nobis intimetur, & reſpõſum habita matura conſideratione habeatur, ne fraus fiat ſacramento, quum prius an pura fide ueniant, indagandum ſit, & grandiuſculi anteq̃ ad baptiſmũ accedant edocendi ſint fidei rudimẽta. Et nequis infidelis propter paupertatẽ, quũ ualde apud Chriſti fideles charitatem refriguiſſe uideant, aut aliꝭ per auaritiam a baptiſmo ſe ſubtrahant, Bullam nuper a ſanctiſs. D.N D. Paulo emanatam, qua infideles ad fidem inuitantur, Hic interſeruimus, ut illam ſacerdotes debitis temporibus publicare, & in ea contenta ad unguem obſeruare ualeant.

PAVLVS PAPA TERTIVS.

# AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Cupientes Iudeos & alios infideles quoslibet ad fidem Catholicam conuerti, & pretextu bonorum per eos antea poſſeſſorum ab eadem fide nõ diſtrahi, Motu proprio, ex certa noſtra ſcientia auctoritate apoſtolica tenore præſentium, hac in poſterum ualitura Conſtitutione ſancimus, ꝙ cuicunq; eorundem Iudeorum & infidelium ad dictam fidem conuerti uolenti, etiã ſi in patria poteſtate cõſtitutus fuerit, bona ſua quecunq; tam mobilia quam immobilia intacta & illeſa permaneãt. Ita ut etiam filii familias & in patria poteſtate ut preſertur cõſtituti, legitima & quacunq; alia portione bonorum patrimonialium aut maternorum eis de iure ſeu ſucceſſione bonorum eis alias debitorum per eorum parentes fraudari aut priuari non poſſint neq; debeant, ſed eis integre etiam ſi cõtra uoluntatem parentum ſuorum ad fidem ipſam conuerſi fuerint, etiã eorũ parentibus uiuentibus debeantur, Et ſi bona ipſa ex uſura aut aliò



Digitized by Google

illicito queſtu fuerint acquiſita,& note ſint perſone,quibus eorum fuerit de iure facienda reſtitutio(Quia non dimittitur peccatum niſi reſtituatur male ablatum)illa eiſdem perſonis omnino reſtituanturperſonis uero non extantibus prædictis,quia bona ipſa eſſent per manus Eccleſiæ in pios uſus c nuertenda,bona huiuſmodi eiſdem Iudeis & aliis infidelibus in fauorem ſuſcepti baptiſmatis tanq̃ in pium uſum libere concedimus,eaq; apud ipſos ſic conuerſos Iudeos & alios infideles remanere debere decernimus. Interdicentes ſub diuini anathematis pena quibuſuis tam eccleſiaſticis q̃ ſecularibus perſonis,ne ullam ſuper bonis huiuſmodi quouis queſito colore moleſtiam inferant aut inferri patiantur. Sed magnum ſe f ciſſe lucrum exiſtiment,dum tales Chriſto lucrati fuerint, & quoniam ut ſcriptum eſt. qui habuerit ſubſtantiam mundi huius,& uiderit fratrem ſuum neceſſitatem habere,& clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo charitas dei manet in ipſo, ſi ipſi cõuerſionis tempore inopes aut indigentes fuerint, omnes tam eccleſiaſticos q̃ ſeculares per uiſcera miſericordiæ Dei noſtri exhortamur,ut ipſis conuerſis manus porrigãt adiutrices, ipſi quoq; Diocesani non ſolum chriſtianos ad ſubueniendum ipſis exhortentur, Sed etiam tam de redditibus eccleſiarum prout poterunt q̃ de his que ad pauperũ uſus per ipſos conuertenda deuoluuntur,huiuſmodi neophitos ſubſtentare non negligãt,ipſosq; a detractionibus & contumeliis paterna affectione defendant,& quoniam per gratiam Baptiſmi,ciues ſanctorum & domeſtici Dei efficiuntur,longeq; dignius exiſtit regenerari ſpiritu,q̃ naſci carne,eadem conſtitutione ſtatuimus ut Ciuitatum & locorum in quibus ſancto Baptiſmate pro tempore regenerabuntur,uere ciues ſint,& priuilegiis ac libertatibus & immunitatibus,que alii ratione natiuitatis & originis duntaxat conſequuntur gaudeant,curent inſuper ſacerdotes Baptizantes & alii de ſacro fonte eos ſuſcipientes,tam ante Baptiſmum q̃ poſt,illos in articulis fidei ac legis nouæ præceptis catholicæq; eccleſiæ ritibus diligenter inſtruere, & tam ipſi q̃ dioceſani operam dent,ne cum aliis Iudeis ſeu infidelibus ſaltem per longum tempus conuerſentur, ne ſicut quandoq; contingit,ab infirmitate curatis modica occaſio ad priſtinam perditionem recidiuos efficiat, & quoniam experientia teſte compertum eſt,mutuam ipſorum neophitorum inter ſe conuerſationẽ ipſos in fide noſtra fragiliores reddere, ac ſaluti ipſorum plurimum officere, hortamur locorum ordinarios ut quantum pro incremento fidei uiderint expedire,curent & ſtudeant neophitos ipſos cum originariis chriſtianis matrimonio copulare. & prohibeant eiſdem ſub grauibus penis ne mortuos more Iudeorũ ſepeliant, aut ſabbata aliasq; ſolennitates & antique ſecte ritus quoquo modo obſeruẽt,ſed & eccleſias & prædicationes prout alii catholici frequentẽt & in omnibus chriſtianorũ moribus ſe conformes reddant. Cõtemptores autẽ prædictorum per ſacerdotes in quorum parochiis de

gent aut alios ad quos de iure uel antiqua cõſuetudine de talibus inquirere ſpectat, aut etiam per alios quoſcunq; dioceſanis ſeu inquiſitoribus hereticæ prauitatis deferant, & inuocato ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis, per eos taliter puniantur, ꝙ aliis tranſeat in exemplum, & inſuper de his omnibus in prouincialibus & ſynodalibus conciliis diligens fiat inquiſitio, & tam circa Epiſcopos & ſacerdotes in premiſſis negligẽtes q̃ ipſos neophitos & infideles predictos contemptores oportunum adhibeatur remedium. Si quis autem cuiuſcunq; gradus uel præeminẽtiæ fuerit, huiuſmodi neophitos ne ad obſeruationem ritus chriſtiani & aliorum præmiſſorum compellantur fauerit aut defenderit, penas contra fautores hereticorum promulgatas ipſo facto incurrat, neophiti uero ſi ſe corrigere poſt monitionem canonicam neglexerint, & ad uomitum iudaizantes redire comperti ſint, contra eos tanquam perfidos hereticos per ordinarios locorum ſecundum ſacrorum canonum inſtituta procedatur, Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis priuilegiis indultis & literis etiam Apoſtolicis ſeu etiam Regiis uel Imperialibus eiſdem Iudeis uel infidelibus quomodolibet conceſſis que quatenus in detrimentum Catholicæ fidei aut nominis Chriſtiani ſeu aliquorum ex premiſſis quomodolibet uergent ad effectum præſentium caſſamus & irritamus, ac caſſa & irrita eſſe decernimus, aliis decretis & conſtitutionibus Apoſtolicis que ſuper præmiſſis ſunt condita, in ſuo robore duraturis, & ut huiuſmodi ſanctæ conſtitutionis iugis memoria habeatur, & ne quiſquam ipſius ignorantiam prætendere poſſit, illa per ſingulas Cathedrales & Collegiatas eccleſias aliaq; pia loca in quibus uberior erit fidelium concurſus, ſemel in Anno ad minus infra diuina publicari uolumus & decernimus, & quia difficile foret, præſentes ad ſingula queq; loca deferri, uolumus & etiam declaramus ꝙ earundem præſentium traſumptis ſeu copiis etiam impreſſis & manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius prelati munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, que preſentibus adhiberetur ubicunq; forent exhibite uel oſtenſe. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo piſcatoris, Die xxi. Martii. M D X L I I. Pontificatus Anno Octauo.

L. de Torres.

¶ Quæ perſonæ prohibeantur tenere ad Baptiſmũ. C. 18.

CVm nemo dare poſſit, quod non habeat, cumq; dictum ſit ſupra, Compatres & Commatres teneri ad inſtituendum in fide pueros per ſe leuatos, Mandamus ꝙ excepta neceſſitatis cauſa, aliquis uir ad leuandum infantem non recipiatur, niſi dominicam orationẽ, ſalutationem angelicam, & Symbolum apoſtolorum ſciat, prout ſupra dictum

Digitized by Google

eſt. Similiter non admittatur, qui iuſto ceſſante impedimento non ſit cõfeſſus eo anno & ſacram non ſumpſerit Euchariſtiam, quum non conueniat tales tanq̃ de ſacramentis male ſentientes, eorum confectioni intereſſe quos ſancta mater Eccleſia a diuinis arcet. Itẽ ſtatuimus & prohibemus, ꝙ nullus Prælatus, rector, uel Clericus ſæcularis, uel regularis, cuiuſcunq; eccleſiæ, fiat compater alicuius abſq; noſtra ſpeciali licentia, ſimiliter Pater, & Mater non poſſunt tenere ceſſante cauſa neceſſitatis.

¶ Quod baptiſma cum reuerentia celebretur. C. 19.

CAueant omnino ſacerdotes, ne cum hoc baptiſmatis ſacramẽtum adminiſtratur, diſſolutiones, riſus, aut clamores fiant, ſed ſacerdos, & qui aſſiſtunt, ualde deuoti eſſe debeant, cum miniſteria ſingularia in hoc ſacramento contineantur, quos omnes ſacerdotes etiam admonemus, ut quantum poterunt, puerperarum conuiuia euitent, cum in illis multa ſæpe eccleſiaſtico ſtatui inconuenientia fiant, & dicantur. Caueat autem ſummopere ſacerdos, ne peccati reus, ſed immo ea cum reuerentia ſacramentum iſtud, ſicut & cætera miniſtret, alias Deum nouo peccato mortaliter offenderet.

¶ De imponendo baptizandis nomina ſanctorum. C. 20.

SI apud gentiles potiſſima cura erat, uti parentes honeſtis filios ſuos nominibus appellarent, aſſerentes etiam, ꝙ ſi pulchra nomina uenderentur, deberent emi, tanto magis nos Chriſtiani homines delectari, atq; gloriari debemus. Nobis licere liberis noſtris ea ſanctorum nomina imponere, quorum ueluti tali cognomine gaudentium ſuffragiis liberos noſtros ſulcitos continue cuſtodiri, & præſeruari, pium ſit credere, unde cum nonnulli ualde nobis errare uideantur, dum leuitate quadam aut ipſi nouorum nominum auctores haberi uolunt, aut ſi quã a ſuis maioribus acceperunt tanq̃ gentile patrimonium, ad poſteros certa fide tranſmittunt, omnes utriuſq; ſexus nobis ſubditos rogando hortamur, ne infantulos ſuos baptizandos, nominibus paganorum, aut gẽtilium, ſed nominibus ſanctorum, aut ſanctarum iuxta ritum Chriſtianorum nominari uelint.

¶ De numero Compatrum, & Cõmatrum, ex quibus cauſatur cognatio ſpiritualis. C. 21.

CVm ex cognatione ſpirituali, quæ cauſatur ex Baptiſmo, & itidem ex confirmatione, impediatur matrimonium contrahendum, & contractum dirimatur, ne rixæ, & quæſtiõ & inceſtus exinde oriatur. Statuimus, & ordinamus, ꝙ in baptiſmate ultra duos cõpatres, aut du-

Digitized by Google

as Commatres non admittatur ſine noſtra, aut Vicarii noſtri licentia: de cætero etiam obſeruari mandantes, ut cum maſculum unum, & fœminam unam pro Compatre, & Commatre eſſe contigerit, ſolus maſculus, tanq̄ ſexus dignioris de ſacro fonte leuet, ſacerdotiq; interroganti reſpondeat, fœminæ autem præſente maſculo non liceat de ſacro fonte leuare.

## De non miniſtrando ſacramenta extra propriam parochiam. C. 22.

SAncimus etiam & ordinamus, q̄ nullus ſacerdos in aliā Parochiā ad pœnitentiandum, communicandumq;, uel ad aliquod officium ſacerdotale faciendum ire præſumat, abſq; parochialis ſacerdotis, uel noſtra aut Vicarii noſtri licentia ſpeciali, niſi eccleſia, in cuius parochia infirmus fuerit, uacauerit ſacerdote, ſeu abſens ſacerdos fuerit ab eadem, ut abſq; periculo requiri nequeat licentia, uel conſenſus.

## Quod ignorantes orationem dominicam & non recipiantur ad cōmunicandum, neq; ad leuandum de ſacro fonte. C. 23.

QVum autem de neceſſitate ſalutis quilibet Chriſtianus orationem dominicam, Symbolum apoſtolorum, & confeſſionis formam ſcire debeat, retinendo ſaltem ſenſum, & ſacerdotibus, ac prædicatoribus munere ſibi impoſito, prout tenentur, fungentibus, nullus ſe in ueritate excuſare poterit, quod a quo neceſſaria ad ſalutem addiſcere poſſit, non habeat, ideo præmiſſa neſcientes, ut magis confundantur, ad cōmunicādum in Paſchate cum aliis in eccleſia, & ad ſuſcipiendum & leuandum pueros de ſacro fonte, ſeu in faciem eccleſiæ matrimonium contrahendum non admittantur, ſeu recipiantur, cum parentes pariter & patrini, & Matrinæ ſuos filiolos docere teneantur, quod minime facere poſſunt, qui prius non didicerint, inhibetur ergo ut etiam ſuperius inhibuimus ipſis Curatis, & Capellanis, ne huiuſmodi ignorantes recipiant ad leuandos pueros in baptiſmo, niſi eſſet neceſſitas, q̄ aliter fieri non poſſet.

## Quod uſurariis non miniſtrentur ſacramenta, niſi præuia ſatisfactione. C. 24.

STatuimus, ut nullus ſacerdos perſonis aliquibus de uſuris publice diffamatis, ſeu etiam aliter quam in ſecreta confeſſione confeſſis cōcedat eccleſiaſtica ſacramenta, niſi primo de uſuris, & male ablatis illis, ad quos ſpectant, ſatisfecerint, uel de ſatisfaciendo cautionem ſecūdum formam generalis concilii Lugdunen̄. apud officium noſtrum præſtiterint, uel præſtitiſſe legitimam fidem fecerint, Dicti autem concili conſti

tutionem in omnibus parochialibus eccleſiis Præcipimus ſingulis an‑
nis per regentem curam animarum ſemel,uidelicet in dominica quadra
geſimæ,qua canitur Iudica,ſolenniter publicari,quod ut cōmodius fie‑
ri poſſit,eam conſtitutionem hic inſeri iuſſimus,& eſt talis,uidelicet.

QVamquam uſurarii manifeſti de uſuris, quas receperant, ſatisfieri expreſſa quantitate,uel indiſtincte,in ultima uoluntate mandauerint,nihilominus tamē eis eccleſiaſtica ſepultura denegetur,donec de uſuris ipſis fuerit & prout patiuntur facultates eorum, plenarie ſatiſfactum,uel illis,quibus facienda eſt reſtitutio,ſi præſto ſint ipſi, aut alii, qui eis poſſint acquirere,uel eis abſentibus loci ordinario,aut eius uices gerenti,ſiue rectori parochiæ,in qua teſtator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipſa parochia,quibus quidē ordinario Vicario,& Rectori prædicto modo cautionem huiuſmodi eorum nomine liceat præſentis conſtitutionis auctoritate recipere, ita ꝙ illis perinde actio acquiratur,aut ſeruo publico de ipſius ordinarii mandato,idonee de reſtitutione facienda ſit cautum.Cæterum ſi receptarum uſurarum ſit quantitas manifeſta,illā ſemper in cautione prædicta exprimi uolumus, alioquin aliam recipientis cautionem huiuſmodi arbitrio moderandam, ipſe tamen ſcienter non minorem,quam uériſimiliter creditur,moderetur,& ſi ſecus fecerit,ad ſatisfactionem reſidui teneatur. Omnes autem religioſos,& alios qui manifeſtos uſurarios cōtra præſentis ſanctionis formā, ad eccleſiaſticam auſi fuerint admittere ſepulturam, pœnæ lateranen. concilii contra uſurarios promulgatæ ſtatuimus ſubiacere. Nullus manifeſtorum uſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſſionem admittat,ſiue ipſos abſoluat,niſi de uſuris ſatisfecerint,uel de ſatisfaciendo pro ſuarum uiribus facultatum,præſtet,ut præmittitur, idoneā cautionem teſtamenta quoq; manifeſtorum uſurariorum aliter facta non ualeant,ſed ſint irrita ipſo iure.

### ¶ Quod nullus ſine licentia expellat ſpiritus. C. 25.

ET ſi quilibet ſacerdos, quum in exorciſtam ſit ordinatus, receperit auctoritatem per manuum impoſitionem,& uerba exorciſmi ſpirituum immundorum nequitiam per uerbum Chriſti cohercendi, & eiiciendi de corporibus obſeſſis, cum omni nequitia eorum multiformi, nonnulli tamen ſacerdotes adeo a Diabolo obcæcati reperiuntur, & in ſimplicitate non ambulantes,ut præſumant profiteri, ſe præcipuos eſſe immundorum ſpirituum expulſores, & ſe ſolos eſſe,qui norūt uiam(ut ipſi dicunt)Demones abiiciēdi,cæteros aſpernantes,ſimplicibus ac idiotis uarias ſuperſtitiones perſuadentes,ut ſic ab eis pecuniā extorqueant, ueluti aucupio quodam in grauem clericalis ordinis ignominiam,unde nos experientia docti, huic morbo conſulere cupientes ſancimus, ꝙ

nullus

Digitized by Google

nullus clericus, siue ſacerdos ſæcularis, ſeu religioſus, ſine noſtra, aut Vicarii noſtri in ſcriptis habita licentia adiurare, uel exorcizare ſpiritus, uel a ſpiritibus uexatos ſignare, aut eis quoquo modo contra ſpiritus medicinas præbere. Mandantes in uirtute ſanctæ obedientiæ, ut omnes illi, quibus de cætero curam talem (prout opus fuerit) demandabimus, libenter & in charitate ſuſcipiant, gratias Deo agentes, quod de ſe ea ſit opinio concepta, quod tales eſſe exiſtimentur, ut ex illis credantur eſſe, de quibus dominus in euangelio dicit, In nomine meo Demonia eiicient, & ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Quos etiam Hortamur, ut ſtudeant, ſicuti a corporibus aliorum Demones expellũt, ita a mentibus & corporibus ſuis omnem immunditiam, & nequitiam eiiciant, ne illis ſuccumbant, quos ab aliis ſuo miniſterio effugant.

¶ De nemine ſepeliendo in eccleſiis, niſi in ſepulchris iam factis, & de Depoſitis amouendis. C. 26.

POſtq̃ iam mos antiquus inoleuit, ut cadauera quorumcunq; fidelium defunctorum, nullo habito perſonarũ diſcrimine, in eccleſiis ſepeliantur, Nos quoq; iſtud cum patientia tolerantes, his ſaltem, quæ Nobis abſurda uidentur, tam propter ſacrorum locorum reuerentiam, q̃ eccleſiarum impedimenta & deturpationes obuiare ſtudebimus, Mandamus igitur uniuerſis, & ſingulis curatis & aliis presbyteris quibuſcunq;, q; in eorum Eccleſiis non permittant aliquem ſepeliri, niſi in ſepulchris iam factis, Noua uero ſepulchra, per quæ eccleſiarum pauimenta deturpantur, & præcipue tumulos depoſita nuncupatos, qui impedimẽto, & deformitati eſſe ſolent, abſq; licentia noſtra de cætero omnino fieri prohibemus, & ſi qua ad præſens depoſita reperiantur, amoueant, ſeu per illos, quorum intereſt, amouenda curent, Quorundam autem faſtũ deteſtamur, qui mira arte, & maxima cum impenſa laborata ſepulchra in locis eminentibus, & plerunq; altaria excedentibus, ſuper quibus unigenitus dei filius æterno patri quotidie pro humani generis ſalute uictimatur, collocare præſumunt, & terram terræ debitam reddere contradicunt, ut ſic etiam poſt carnis interitum mundana ſuperbia perſeueret, cum carnis locus proprie terra ſit, & nihil referat, ut corpus magis in honorifico, & in altum ſuſpenſo mauſoleo, q̃ in uili, & humi poſito buſto putreſcat, immo, ut beatus inquit Auguſtinus, quos peccata grauiora deprimunt, ſi in huiuſmodi locis ſe ſepelire faciunt, reſtat, ut de ſua præſumptione iudicentur, quatenus eos ſacra loca non liberant, ſed de culpa temeritatis accuſant.

¶ Quod eccleſiæ debito tẽpore aperiãtur, & claudãtur. C. 27.

QVum in domo Dei ſeu oratorio, præter orandi & pſallẽdi cultum nihil penitus agere liceat, ut nomini huic & opera iugiter impẽſa



Digitized by Google

concordent,& ad euitandum tam furta & ſacrilegia,quã lenocinia,quæ interdũ quibuſdam extrauagantibus horis per improbas perſonas, inibi auſu temerario ac ſacri loci poſthabita reuerentia committi,& perpetrari ſolent. Ordinamus ꝙ non obſtante aliqua incontrarium corruptela, eccleſiarum Rectores, ſiue cuſtodes eccleſiarum ſuarum Oſtia diuinis peractis officiis, debito & congruo tempore claudant,& aperiantur, Rurales & Campeſtres eccleſiæ ſimiliter celebratis diuinis officiis omnino claudantur, ſuper quorum tamen Oſtiis, ut hominũ deuotioni ſatiſfiat, Feneſtrellæ cum ſuis Crucibus ferreis fieri poterunt, ſi quæ uero fuerint eccleſiæ, quæ dies noctesq́ apertæ maneant, id nobis in primis intimare procurent, ut idonee prouidere ualeamus, & interim nullus in illis celebrare præſumat.

### ¶ Quod Cæmeteria ſimiliter clauſa teneantur,& in illis nihil prophani exerceatur. C. 28.

PRæterea cum Cæmeteria ĩmunitate gaudeant eccleſiaſtica, locusq́ ille, in quo cinis fidelium defunctorum continetur, terra ſancta ſit, Præcipimus ſub pœna interdicti, ea ita undequaq́ muro, aut alia clauſura clauſa ac bene cuſtodita teneri, ponendo crates ferreos, aut ligneos ad introitus, ut ſolis hominibus ingreſſus pateat,& in ea animãtia bruta propter fidelium corporum ibi iacentium, & ſacri loci reuerentiam ingredi non permittãtur. Nulla præterea in huiuſmodi locis ſæcularia tractentur placita ſeu negotia, aut alia mecanica exerceantur, Non permittantur laici choreas ibi facere diſſolutas, nec cantilenas canere, aut alias perpetrare inſolentias, ex quibus eccleſiarum,& Cæmeteriorũ uiolationes, inhoneſta, uariaq́ delicta quandoq́ ſequuntur, & eccleſiaſticũ quandoq́ perturbatur officium in diuinæ Maieſtatis offenſam,& aſtãtium ſcandalum populorum.

### ¶ Ne cruces & ſanctorum imagines humi uel in locis immundis teneantur. C. 29.

QVum nobis eſſe debeat cura diligens per omnia, quantum poſſumus, ſuperni numinis religionem tueri,& quæ in imaginem fiũt, in eum, quem imago refert, eſſe facta uideantur. Ordinamus, ne quiſq́ crucem, aut alicuius ſancti imaginem in locis immundis, uel in ſolo, uel in ſilice, uel in marmoribus humi poſitis, aut pauimentis, quæ hominũ, aut animalium pedibus terantur, ſculpere, aut pingere, ſculptaq́, aut pictas tenere audeat, omnes,& ſingulos eccleſiaſticos,& ſæculares, ad quos ſpectabit, monendo, ꝙ infra octo dies ab harum conſtitutionum publicatione enumerandos, Cruces,& imagines, ita poſitas in eccleſiis & cæmeteriis, aliis ue locis ſuis repertas deleantur, aut delendas curent.

¶ Ne officiales laici capiant clericos ſine licẽtia dñi epi. C. 30.

PRohibemus ſub interminatione maledictionis æternæ officialibus laicis, ut nullum Clericum capere audeant, uel detinere ſine expreſſa noſtra, aut Vicarii noſtri licentia, niſi in caſibus, quibus de iure cõmuni, ſiue per has noſtras conſtitutiones id permittitur, & tunc ſi fuerit de nocte, præſentetur captus alicui honeſto ſacerdoti, qui ſi pro capto fideiubere uoluerit de præſentando illum Nobis de mane ſequenti, tunc accepta fideiuſſione dimittatur, alias reſeruetur, donec fuerit nobis præſentatus in mane, & ſignificetur nobis immediate in mane ſequenti ſub excõmunicationis pœna. Si uero de die fuerit captus, tunc illico in Epiſcopalem curiã, quãto honeſtius fieri poterit, nobis pſentãdus ducatur.

## DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBVS. TITVLO SEXTO.

¶ De confitendo & cõmunicando ſaltem ſemel in anno. & de publicando. c. omnis utriuſq; ſex. C. I.

SAcerdotes curam & regimen Animarum habentes, ſæpius admoneant parochianos ſuos, ut ſæpius cõfiteantur in anno peccata ſua, maxime in ſolennioribus feſtis, exponentes, qualiter antiquitus boni Chriſtiani ter ad minus in anno. S. in Paſchate, Penthecoſte & Natiuitate domini, ſacratiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſoliti erant maxima cũ deuotione ſuſcipere, & licet ſemel in anno Canon omnis utriuſq; ſexus nos obliget ad confitendum, & cõmunicandum, qui tamen ſæpius cõmunicauerit, ſi digne plus meretur, qui uero ſemel in Paſchate, quod a die iouis ſancte, uſq; ad reſurrectionis octauam incluſiue interpretatur, recipere neglexerit, rationabili cauſa proprio ſacerdoti nota ceſſante, ſecundum Canones eccleſiam ingredi uiuentes prohibeantur, & mortui careãt eccleſiaſtica ſepultura, quod ut magis noſtrorum ſubditorũ animis & mentibus inhæreat, in uirtute ſanctæ obedientiæ iniungimus, & Præcipimus uniuerſis clericis, curatis, & prædicatoribus in ciuitate, & Dioc. noſtra uerbũ Dei ſeminantibus, ut ſingulis diebus dñicis per quadrageſimam, conſtitutionem omnis utriuſq; ſexus ſuis ſubditis publicent, & publice intiment, ut omnes remota omnis ignorãtiæ excuſatione ad peccatorum ſuorum confeſſionem, & euchariſtiæ ſuſceptionem ſe præparent, illius autem Capituli tenor eſt huiuſmodi.

OMnis utriuſq; ſexus fidelis, poſtq̃ ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno fideliter cõfiteatur proprio ſacerdoti, iniunctam ſibi pœnitentiam propriis uiribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha euchariſtiæ ſacra-



Digitized by Google

mentum, Niſi forte de proprii ſacerdotis conſilio ob aliquam rationabi lem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinẽdum, Alioquin & uiuens ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Vnde hoc ſalutare ſtatutum frequenter in eccleſiis publicetur, ne quiſq̃ ignorantiæ cæcitate uelamen excuſationis aſſumat. Si quis autem alieno ſacerdoti uoluerit iuſta de cauſa ſua confiteri peccata, licẽtiam prius poſtulet, & obtineat a proprio ſacerdote, cum aliter ipſe illum non poſſit abſoluere, uel ligare, ſacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, ut more periti medici ſuper infundat uinũ & oleum uulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circunſtantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, qualę debeat ei præbere cõſilium, & cuiuſmodi remedium adhibere, diuerſis experimentis utendo, ad ſaluandum ægrotum. Caueat autem omnino, ne uerbo, aut ſigno, aut alio quouis modo, aliquatenus prodat peccatorem, ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud abſq; ulla expreſſione perſonæ caute requirat. Quoniã qui peccatum in pœnitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, non ſolum a ſacerdotali officio deponẽdum decernimus, uerumetiã ad agendã perpetuã pœnitentiã in arctum monaſterium detrudendum.

¶ Vt curati mittant noĩa nõ cõfeſſorũ, & nõ cõicatorũ. C. 2.

TRanſacta autem dominica in albis, ut quod canones præcipiunt, debitæ & neceſſariæ executioni demandemus, Volumus & ſtatuimus, q curati omnes ſingulorum nomina & cognomina eorum, qui in anno illo non erunt confeſſi, & cõmunicati, ad officium noſtrum tráſmittere in termino. vi. dierum debeant cum expreſſione cauſarum extra pœnitentiæ forum habitarum, propter quas quilibet noluerit confiteri, & cõmunicare, quos per cancellarium noſtrum ſcribi in libro ſeparato uolumus, ut monitionibus canonicis præcedentibus, & his in perfidia ſua perſiſtere uolentibus, finitis omnibus terminis, ad omnem malitiam conuincendam aſſignatis, contra eos ad excõmunicationis mucronem perueniamus, eos excõmunicatos eſſe, & pro excõmunicatis haberi mãdantes, qui ſanctæ matris eccleſiæ præcepta negligentes, peccata ſua ſemel in anno confiteri, & euchariſtiæ ſacramentum ſumere, ſine legitima cauſa, & per confeſſorem ſuum approbata diſtulerint, Porro ſi qui ex parochianis alibi, quam in illa parochia, ubi id iure licuerit, cõfeſſi fuerint, & cõmunicauerint, de eo rectorem ſeu curatum ipſum certificare poterunt, alioquin ipſorum negligentia cauſante contra eos ad infra dicenda, tanq̃ ſi cõfeſſi, & cõmunicati nõ eſſent, cũ eſſe nõ appareát ꝓcedetur.

¶ Pœna curatorum non denunciantiũ proxime dictos. C. 3.

SI quis autem curatus iuſta ceſſante cauſa eos, qui ſanctæ matris eccleſiæ mandatis, & conſtitutioni noſtræ huiuſmodi non paruerint,

Digitized by Google

infra terminum prædictum officio noſtro non denuntiauerit, uel ſi poſt eiuſdem denũtiationem in eius parochia quis reperiatur, qui non ſit cõfeſſus, & cõmunicatus, & incuria, aut malitia non denũtiatus, ſacerdos ille pro negligentiæ aut malitiæ culpa grauiter pro arbitrio noſtro condemnabitur.

Ad idem, & de proſequendis taliter excõmunicatis. C. 4.

POſtq̃ autem omnes iſtos, qui ſe in anno cõfeſſos, atq; cõmunicatos eſſe, uel non docuerint, ut prædictum eſt, uel uere confeſſi & cõmunicati non fuerint, diligenter examinata cauſa per eos allegata, & tandem per Nos minime approbata, in epiſcopali palatio noſtro excõmunicatos publicauerimus, cedulis ad ualuas eccleſiæ, & ad alia loca publica affixis, curabimus omnes iſtos notatos ad curatos mittendos, ut & ipſi in termino ſibi aſſignato, in locis ſuis intimare debeant, ſic publicatos fuiſſe per nos omnes tales populum ſuum exhortãtes ad eorum cõmertia euitanda.

Curati ſe inuicem admoneant, quando excõicati & infames diſcedunt de ſua Parochia, & ad aliã ſe conferunt, & diligenter ſe informẽt de qualitate nouorũ parochianorũ. C 5.

QVoties contigerit, ut quis excõmunicatus, uel etiã alius quicunq; notorius & ſcandaloſus peccator quum deſperet ſe quiete uicturum in parochia ſua antiqua, detecta ſua excõmunicatione, uel alio notorio graui crimine, ad aliam parochiam cauſa trahendæ moræ, & occultandi uitam ſuam, ſub ſpe quietius uiuẽdi, quamuis pax nuſq̃ ſit impiis, ſe trãsferat, curatus ſtatim notificet præsbytero, ad cuius parochiã nuper parochianus ille ſuus acceſſit, illum excõmunicatum eſſe, & excõmunicationis cauſam, uitam & mores illius, quibus publice in ea parochia notus eſt, deſcribendo, ne contagio unius, reliquæ oues uocem ſui paſtoris audientes corrumpantur, ipſeq;, dum ab omnibus uiderit ſe repelli, ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectũ facilius inclinetur, ſtudeant etiam omnes curati inuigilare ſuper gregem ſuum, & quũ aliquis incognitus accedit ad habitandum in parochia ſua, informent ſe de uita & moribus illius a curato ſuo antiquo, & etiam nobis intimare debeant, caueantq;, ne ſint, de quibus inquit propheta, canes muti, non ualentes latrare, aut mercenarii, qui uident lupũ uenientẽ & fugiũt.

Forma ſeruanda in abſolutione illorum, qui publicati fuerint excõmunicati. C. 6.

QVum autem dominus illuminauerit corda iſtorum, ut ad ea quæ ad animarum ſuarũ ſalutem inſtituta ſunt, uere aſpirent, uelintq;

Digitized by Google

in gremium eccleſiæ redire, capitiſq; eccleſiæ, qui Chriſtus eſt, membra effici, tunc ceſſante in illis cauſa, ex qua extra Chriſtianorum cõſortium excluſi erant, & a nobis licentia obtẽta, ſacerdos curatus eos omnes qui publicati, ac denuntiati ſunt excõmunicati, in die dominico ſeu feſtiuo; iubeat ad fores eccleſiæ ſtare genibus flexis, ad quos ante Miſſarum celebratioñe, & datis campanarũ ſignis, aſtãte populi multitudine ad diuina cõgregati, accedat apparatus cũ ſtola, & uirga in manu, eoſq; ſeruata forma a iure tradita in abſoluẽdo excõicatos, abſoluat, dato iuramẽto.

CVM PSAL. MISERERE, CVM GLORIA PATRI, PERCVTIENDO CVM VIRGA, FINITO QVOLIBET VERSICVLO, ET KIRIE. TER, ET ORATIONE DOMINICA, ET QVATVOR VERSICVLIS, SALVVM FAC, ET NIHIL PROFICIAT, ESTO EI, DOMINE EXAVDI, ET ORATIONE DEVS CVI PROPRIVM, MVTANDO VERBVM DELICTORVM IN VERBVM EXCOMMVNICAT. ET POSTEA ABSOLVENDO DICAT, EGO ABSOLVO TE a uinculo excõmunicationis, quam incurriſti pro eo, ꝙ non es confeſſus, & cõmunicatus hoc anno, & reſtituo te cõmunioni fideliũ, & poſtea mãdet ei, quod mandaturus eſt, aduertendum autẽ eſt, ꝙ talis percuſſio omittenda erit in mulieribus, cum non deceat mulieres uerberari.

## ¶ Quod a nullo abſoluantur alibi, quã in parochia ſua. C. 7.

QVum autem quis male uiuendo totam Parochiam ſcandalizauerit, par eſt, ut in illo loco pœnitentiam publicã faciendo bene ædificet, quos iam ſcandalizauerat, idcirco uolumus, ꝙ omnes iſti excõmunicati, ex quo in Parochia ſua per proprium curatum fuerint publicati, per eundem quoq; in eodem loco publice iuxta formam ſuperius traditam abſoluantur uel ſi forſan alibi a quopiam ſufficientem facultatẽ habente abſoluti fuerint, abſolutionem huiuſmodi, & a quo illam obtinuerint, ipſi curato per illius abſolutorias literas notificent, & tunc ipſe Curatus eoſdem abſolutos eſſe in eadem ſua Eccleſia præſente populi multitudine, & ipſis abſolutis, ſimiliter publicet. Qui autem inuentus fuerit contrafeciſſe, uel falcem in Meſſem alienam ſine ſufficiente facultate imittendo, uel prædictam formam non ſeruando, grauiter pro arbitrio noſtro mulctabitur, ſiue is ſit curatus, ſiue alius quicunq;.

## ¶ Quæ cauſæ ſolent iudicari legitimæ, per quas non ſumens Euchariſtiam ſit ad tempus tolerandus. C. 8.

CAeterum, quia ſolent nõnulli dubitando quærere, quæ nã ſint cauſæ illæ adeo legitimæ propter quas quis Euchariſtiam non ſuſci-

Digitized by Google

plens ſit ad tempus tolerandus. Notandum q textus in d c.omnis po- nit tria. ¶ Quod abſtineat ad tempus. ¶ Ob rationabilem cauſam ¶ De conſilio ſacerdotis. ¶ Qui ergo nolunt accipere tépus præfixum, qui de conſilio patris ſui ſpiritualis gubernare ſe nolunt, ſed pro animi ſui libidine, qui rationabilem abſtinendi cauſam non habent, quæ non ab ipſis, quum in cauſa propria nemo debeat eſſe iudex, ſed a ſapienti- bus, & diſcretis ſacerdotibus iudicáda eſt, hi proculdubio excõmunica- ri merétur, ſi poſt canonicas monitiones ſibi factas, pceptis ſanctæ ma- tris Eccleſiæ parere noluerint Nec aliquis iure excuſare ſe poterit a per- fecta peccatorum ſuorum confeſſione facienda, & a ſacramẽti ſuſceptio ne, inimicitiarum, odiorum, rancorum, concubinarum occaſione. Hæ enim rationabiles cauſæ iudicari non debent, nec a rationabili ho- mine ſunt allegandæ, ſed Canon ſupradictus poteſt intelligi, quum de recidiuatione timeatur, tunc enim etiá ſi penitens communicare uellet, Sacerdos ſuperſedere debet, periculum faciens, an perſeueret in ſeruãdo, quod promiſerat, exemplum de blaſphemia, de cõmertio cũ aliqua mu- liere &c Et huiuſmodi, alius habet caſus, quos ſibi S.D. Papa, uel ordi- narius reſeruat, a quibus non poterit exempli gratia, hinc ad feſtum Paſ chatis abſolui, is cauſam legitimá habet, interdum ſacerdoti uidebitur imponere pœnitentiam, quæ non niſi peractis Paſchalibus feſtis com- pleri poterit, ecce is etiam eſt excuſatus, Sacerdos pro ſacramenti reuerẽ tia prohibebit alicui, qui in hebdomada ſancta deliquerit, communica ri, niſi ad feſtum Péthecoſtes, alium a cõmunione per duos annos abſti nere mandabit, plures in iure reperiuntur caſus, quibus quis per aliquot annos, uel etiam niſi in extremo uitæ ſuæ, ut de uxoricida habetur, cõ- municare ſe non poterit, omnes iſti legitimam cauſam abſtinendi a cõ- munione habebunt, confeſſionem tamen facere quotannis debét, ſum- mopereq; dolere, q tales exceſſus perpetrauerint, q ad tempus ſacramẽ tali cõmunione fuerint priuati, non poſſintq; mãducare panem illum Angelorum, in quo eſt omne oblectamentum, eum quoq;, qui alicuius ſuæ cauſæ expeditionẽ, cum iam iudex ſit in calculo ferendæ ſententiæ, prius habere optaret, ut poſtea paccatiori animo, ſerenioriq; conſcien- tia, altaris ſacramentum ſumeret, legitimam atq; honeſtam ad tem- pus abſtinendi a cõione cauſam habiturum eſſe iudicabimus, infirmi- tates etiam poſſunt eſſe in cauſa, q quis a ſacramenti cõione iure abſti- nere poſſit, has cauſas pro exẽplis collegiſſe uoluimus, ex qbus prudens & ingenioſus ſacerdos diiudicare poterit, an rationabiles fuerint illæ quas parochianus ſuus adduxerit.

¶ Præfatio in deteſtationẽ excõicationis. C. 9.

VAlde dolendum eſt, in hæc mala tempora nos incidiſſe, ut a com- pluribus excõicatio paſtoris non timeatur, ſed potius paruipenda-

Digitized by Google

tur. Cum plerique ſint, qui excõis ſententiam negligant, cum eam reue-reri, & reuerenter timere deberent, quia in eccleſia Dei nulla maior poe-na reperitur, & cum ipſorum infelicium malitiæ, uel ignorantiæ conſu-lendum ſit, ut intelligant, quam grauiter errauerint, & errent uehemen-ter, qui ſentiunt, & aſſerunt, excõicationem non eſſe timendam, præsby-teri parochiales curam animarum exercentes in ſuis eccleſiis, eorum pa-rochianos debent frequenter admonere, ut timeant excõicationem pa-ſtoris, & cum omni timore & reuerentia diligenter obſeruent, & quantũ in eis eſt, faciant obſeruari, & caueant ab excõicatis, ac eos euitent, tam in eccleſiis, quam extra, Ne cum eis participando grauiter peccent, & in-currant excõicationem, & ut ipſi præsbyteri parochiales habeant mo-dum admonendi ſuos parochianos, aduertãt ad hæc, quæ ſubnectimus tanq̃ ueriſſima, ac ſanctorum, & canonum auctoritate comprobata: in quibus propter maximam negotii importantiam aliquantulum euaga-ri non pigebit.

## ¶Quod excõmunicatio ſit timenda. C. 10.

NAmque ꝙ excõicatio ſit timenda, probatur auctoritate beati Gre-gorii dicentis, ſententiam Paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſit, timen dam eſſe. Nemo enim (ut inquit B. Chryſoſtomus, contemnere debet ec cleſiaſtica uincula, ideſt excõmunicationẽ, immo dicit B. Auguſtinus, Nihil ſic debet formidare Chriſtianus, quam excõicari, quia per excõica tionem a corpore D. N. Ieſu Chriſti, ideſt ab unitate Eccleſiæ ſeparatur, non autem homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui hanc poteſtatem dedit, & dominos fecit homines tanti honoris, unde Chriſtum uidetur contẽ-nere, qui paſtoris excõmunicationẽ contemnit, iuxta illud euãgelicum, qui uos ſpernit, me ſpernit, & qui excõmunicatur, traditur Sathanæ, ut inquit idem ſanctus, omnis Chriſtianus, qui a ſacerdotibus excõmuni-catur, traditur Sathanæ, extra eccleſiam etenim Diabolus eſt, ſicut in ec cleſia Chriſtus, & propterea diabolo traditur, qui ab eccleſiaſtica cõmu-nione remouetur, & ſic quam primum quis excõicatus eſt, quaſi mem-brum abſciſum a corpore, quod nihil ualet, ſicut ergo timenda eſt abſci ſio membri a corpore eius, ſic nihil magis timẽdum eſt Chriſtiano, quã ſeparari a corpore Chriſti, quod eſt eccleſia, abſcinditur autem ab eccle-ſia excõicatus per excõicationem, quæ eſt ictus gladii ſpiritualis, qui ma gis timẽdus eſt, quam materialis, immo, ut dicit B. Auguſtinus, grauius eſt hoc illi, quam ſi feriretur gladio, uel quam ſi a feris deuoraretur, aut quam ſi flammis ureretur, quæ uerba ſunt aurea, & multum notanda, Poſſunt plures aliæ rationes adduci, quare excõicatio ſit timenda, quia per ipſam efficitur homo infirmus ualde, qui nullum remedium, uel me-dicinam poteſt habere, ipſe enim eſt ſeparatus ab eccleſiæ ſacramentis, quæ inſtar uini uulnerum ſaniem mortificant, etiã inſtar olei dolorem

uulnerum

Digitized by Google

uulnerum dulcorant,& inſtar unguentorum uulnera ſanant,de quibus medicinis habetur in euangelio de homine ſauciato, in eccleſiaſtico etiã unguentarius ideſt D.N.Ieſus Chriſtus faciet pigmenta ſuauitatis,& unctiones conficiet ſanitatis præterea excõmunicatus,eſt uelut homo captus ab hoſtibus ſuis,omni auxilio deſtitutus, quia eſt priuatus cõmunione fidelium,nec habet partẽ in aliquibus bonis,quæ in eccleſia fiunt, ipſe eſt ſimilis illi,qui cecidit in foueam,uel eſt ſub onere, & non habet, qui eum ſubleuet,Salomone dicente,ue ſoli,quia cum ceciderit, non habet ſubleuantem ſe,econtrario uero dicitur,frater, qui adiuuatur a fratre,eſt quaſi ciuitas firma, Ab excõicatis autem dei gratia, & protectio ſubtrahitur,& ſibiipſis relinquuntur,ut liberũ ſit,eis ruere in peccati præcipitiũ,unde exire non ualeãt,cum ſint ſoli: Ad hæc excõicatus eſt uelut canis immundus,cui eccleſiam intrare nõ licet, ut in Apocalip.foris autem canes &c.Non enim ſunt digni uidere Dei miſteria,& non licet ſanctum dare canibus,quæ enim cõicatio homini ſancto ad Canem,Poſſumus dicere excõmunicatum ſimilem eſſe palmiti abſciſſo a uite, qui ad nihilum ualet,niſi ut in ignem ponatur,ut in euangelio,ſicut palmes nõ poteſt ferre fructum a ſemetipſo,niſi remanſerit in uite,ſic & uos, niſi in me manſeritis.

## Quot mala inferat excõmunicatio. C. II.

EXcõmunicatio excludit a cõmunione fideliũ,excõicatus enim non poteſt cũ hominibus cõmunicare,uel participare, & cõmunio actiua,& paſſiua ſibi prohibetur,quia nec alii debẽt ſibi cõmunicare,nec ipſe aliis,& grauiter peccat aliis cõmunicando,quia uidetur excõicationẽ contemnere,& cõmunionem ſibi interdictam uſurpare, Et quæ maior pœna eſſe poteſt,q̃ inter homines conuerſari,& hominum carere ſuffragiis.Secundo excludit a ſacramentis eccleſiæ,& morientes in excõicatione carẽt eccleſiaſtica ſepultura.Tertio excõicatio priuat excõicatos ſuffragiis eccleſiæ,quæ ualent ad quatuor, Primo ad augumẽtum gratiæ, quam habent,ſecundo ad merendum gratiam,quam non habent, Tertio ad protectionem dei habendam, Quarto ad defenſionem ab hoſtibus promerendam.Excõicatus nõ poteſt cum aliis intereſſe diuinis, uel cum aliis in eccleſia orare tempore celebrationis diuinorum,alſ mortaliter peccat,nec ei licet extra eccleſiam ſic prope ſtare, quod audiat diuina.Quinto excõicatus non poteſt ſtare in iudicio tanq̃ actor,ſed conuentus poteſt reſpondere,& ſic repellitur ab agẽdo,repellitur etiam a procurando,& patrocinando,& teſtificando,& omnibus actis legitimis. Vltimo notãdum eſt,ꝙ Diabolus in excõmunicato habet poteſtatem quaſi in pecore ſuo,& utitur eo,ſicut ruſticus iumento.

## Quam graue periculũ ſit cũ excõicatis uerſari. C. 12.



Digitized by Google

QVam autem graue peccatum,& periculum ſit cum excõmunicatis participare,uel ex hoc uno patet,quod cũ excõicato, neq; orare,neq; loqui, nec ueſci licet,alſ ſtatim participantes incidunt in excõicationem,& peccant mortaliter,peccant enim in excõicatorem,cuius auctoritatem contemnunt,& perconſequens peccant in deum, peccant in excõicatum, cuius ſanitatem impediunt,dum uerecundiam, & confuſionem,quæ eſt aliquando cauſa ſalutis,ab excõicato auferũt, peccant in ſeipſos,quia morbum contagioſum euitare contemnunt,peccãt in illum,cuius occaſione excõicati ſunt, quia per hoc ſatisfactionẽ ſibi faciendã impediunt. Præterea excõicatus eſt,ſicut infirmus habens morbum contagioſum & infectiuum,qui a conſortio hominum eiicitur,& excõicatio eſt lepra ſpiritualis,figurata per leprã Mariæ, & excõicatum tanq̃ leproſum euitare debemus, Ipſe enim in hoc eſt deterior omnibus peccatoribus,quia ſi alii peccatori cõmunico, non eſt mihi periculum, ſed cõmunicare cum excõicato magnum eſt peccatum,& periculum, & propterea Diabolus loquẽs in quodã demoniaco dicebat,quod propter unum excõicatum plures lucrabatur, Quia unus excõicatus quandoq; una die facit peccare centum perſonas, dum facit eas ſecum cõmunicare,& ſic ab excõmunicato cauendum eſt.

## ¶ Quam periculoſum ſit in excõicatione perſeuerare. C. 13.

VLtra ſupraſcrita intimandum eſt ſæpiſſime infra annum demum per ſacerdotes Curatos, q̃ graue,& periculoſum ſit in excõicatione perſeuerare Nam perſeuerans in excõicatione per annum, ſuſpectus eſt de hereſi,& contra eum, tãquam ſuſpectum de hæreſi procedi poteſt. Nã preſumitur male ſentire de ſacramentis Eccleſiæ,cum non faciat,nec facere poſſit illud,ad quod quilibet fidelis obligatur. Item preſumitur male ſentire de poteſtate Eccleſiæ,ex quo non curat de eius excõicatione,& ſola pertinatia annalis perſeuerantiæ in excõicatione inducit ſuſpitiones hæreſis,& cum talis ſit ſuſpectus de hæreſi,poterit ſibi indici purgatio,in qua ſi defecerit,poterit ut hæreticus cõdemnari. Quæ autem pænæ ſunt hæreticis impoſitæ,ſuperfluum eſt enarrare,cũ hoc clarum, & manifeſtum ſit,& maxime de pæna confiſcationis bonorum, priuationis beneficiorum,& dignitatum,& de pæna ignis,& de aliis &c.

## ¶ Proteſtatio q; de facili in futurũ non cõcedetur excõicatio. C. 14.

CVm autem ex prędictis appareat excõcationem eſſe æternæ mortis damnationem,ſecum paratam,trahentem executionem, abſurdum quippe uidetur,ut de facili ad rem, quam pro præcipuo mucrone Eccleſia habet,pro minima quaq; offenſa,& crimine recurratur,quo ſit

Digitized by Google

ut gladius ille ita obtundatur, ut in cauſis urgentioribus, ubi uſus eius ex poſcitur, Acumen ſcindendi perdidiſſe uideatur, ita ut eius percuſſio magis uilipenſionem inducat, & contemptum, quam corrigendarum animarum ſalutem. Idcirco præſenti cõſtitutione cauemus, ne in poſterum pro qualibet leui cauſa excõis ſententia fulminetur, Cauſæ autem leuitatem, uel grauitatem non pro rei ualore, ſed conſideratis circunſtãtiis, & attenta qualitate petentis iudicari uolumus. Ita tamen ut de hoc in literis monitoriis mẽtio fiat, Alioqui, ſi ꝓ re minoris ſummæ decẽ ducatorũ obtenta, ſeu potius extorta fuerit, eam tanq̃ ſubreptitiam, ſeu obreptitiam, ſacerdotes publicare non debeant, ſed apud ſe eam retineant, donec ſup illius qualitate, ſe ꝑ literas, aut corã a nobis informauerint.

## ℭ De modo obtinendi Monitoria. C 15

VOlumus, ꝙ ſæpe diebus Dominicis & feſtiuis, pro ut opportunitas dabitur, ſacerdotes in eccleſiis ſibi cõmiſſis, ſuum admoneant populum, ꝙ pro rebus minimis nõ ſit expetenda excõicatio, nec etiam ea concedetur, niſi ut ſupradictum eſt. Quum autem petendæ ſunt per aliquem litteræ monitoriæ, ſemper cõueniatur ſacerdos curatus, a quo habeatur fides in ſcriptis de petentis, & facti qualitatibus, & circũſtantiis, & de ualore rei, cuius occaſione excõicatio ſit fulminanda, & cum dicta ſacerdotis fide ueniatur ad petendum monitorium, & Cancellarius noſter retineat litteras dictorum ſacerdotum, qui ſint cauti, ut prius diligẽter, & ad plenum ab hominibus loci fide dignis informati ſcribant ad nos, quicquid inuenerint, Aliter enim, ſi poſtea conſtiterit eos alicuius ꝑſonæ intuitu aliquid fraudulenter ſcripſiſſe, grauiter pro modo culpæ arbitrio noſtro punientur.

## ℭ De publicandis per curatos excõicatis, omnibus diebus Dominicis, quouſq; abſolutionis beneficium obtinuerint. C. 16.

VT autem excõicationis euitetur periculum, & excommunicati rubore perfuſi ad reconciliationis gratiam redire citius compellantur, omnibus curatis, & Eccleſiarum Rectoribus Præcipimus, ꝙ quilibet in ſua parochia oĩbus diebus Dñicis ipſos excõicatos infra miſſarum ſolẽnia publicæ denũtient. Nec ab huiuſmodi publicatione, ſeu denuntiatione ceſſent, quouſq; abſolutionis beneficium fuerint conſecuti. Excõicati autem, cum diuina celebrantur, ab eccleſiis diuinorum tempore expellantur, intereſſe tamẽ prædicationibus poſſunt, ſed nullo modo in ſacramentis ſunt a quoq; admittẽdi: & ideo nullus præsbiter præſente illo, quem excõicatum publicatum ſciuerit, diuina celebrare præſumat, & ſi quis excõicatus ad eiuſdem monitionem exire de Eccleſia



Digitized by Google

uoluerit,& in clauium contemptũ pertinaciter permanere uoluerit, uel ſi excõicatus talis ſit, ꝙ propter potentiam uel alias ſacerdos monere eũ non audeat, idem ſacerdos nobis aut Vicario noſtro denũtiet, & nihilõ minus ipſo preſente non celebret, nec aliquod diuinum officium quoquomodo miniſtret.

Quod ſacerdotes ignorantes Canones penitentiales nõ admittãtur ad confitendum, & ꝙ deputandi prius præſententur, & de opuſculo beati Antonini: & Enchiridio Chriſtianæ religionis. C. 17.

LIcet hodie in occultis peccatis omnes penitentiæ arbitrarie eſſe dicã tur, non debet tamen ſacerdos ubicũq; inueniat taxatam per Canones penitentiam, illã immutare abſq; cauſa, ea ſemper cautione adhibita, ut per eam peccatorem non perdat, qui forte a magnitudine pænæ poſſet a penitentia agenda impediri, alioqui ſi ſecundũ caput ſuum iudicaret iniungendo penitentias non taxatas debitis circunſtantiis, in magno periculo eſſet decipiens ſe & confitentem, ſi arbitraretur aliter penitentiam, q̃ Spiritus Sanctus eam dictauit, confitenti imponendam, tales.n. penitentiæ (ut beatus Gregorius ait) falſæ ſunt, quæ non ſecundũ auctoritatem ſanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur, & audiat unuſquiſq; ſacerdos, taliter, qualiter ſibi placuerit, penitentiam imponens, beatum Hieronymum. Non afferamus inquit, ſtateras doloſas, dicentes hoc graue eſt, hoc leue, ſed afferamus diuinam ſtateram ex ſcripturis ſanctis, tanq̃ de theſauris dominicis, & in illa quid ſit grauius attendamus. Quum igitur ſacerdos, qui eſt iudex, & arbiter, debeat illis Canonibus, ſi nõ in toto, ſaltem in tanto, & ſi non in quantitate, ſaltem in qualitate pænæ adherere, quantum poteſt, idcirco in uirtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excõis latæ ſententiæ, aliiſq; eccleſiaſticis cenſuris, & pænis arbitrio noſtro imponendis prohibemus, neminem tam clericum ſæcularem q̃ religioſum, cuiuſcunq; ordinis, & conditionis exiſtat, audere debere, ſe in audiendis confeſſionibus immiſcere, niſi prius nobis, aut Vicario noſtro pſentatus fuerit, & approbatus. hortãtes omnes in Domino, ut oneris grauitatem, cui ſe ſubmittunt, ſibi ante oculos proponentes, ut poſtea idonei reperiantur infra annum ocio nõ marceſcant; ſed canones pænitentiales quaſi quaſdam regulas ediſcant, de quibus habetur mentio apud doctores in ſummis ſuis, ut ſciant illos poſtea ſapienter, & diſcrete moderari ſecundum peccati circunſtantias, & contritionis qualitatem. Qua penſata confidat, ꝙ diuinus amor qui in pænitẽte incipit, & paulatim confortatur excitabit eum poſtea ſponte & propria uoluntate ad plura opera miſericordiæ, q̃ ſacerdos impoſuerit, alias eorundem canonum notitiam non habentes, ut inſufficientes non admittentur. Cum turpe ſit alicui ignorare ius, in quo uerſatur, Hanc igitur ob cauſam, opuſcula beati Antonini curatis per quam ne-

Digitized by Google

ceſſaria, uulgaria imprimi fecimus, ut quilibet ea præ manibus habere poſſit. Qui uero prædicto opuſculo ſtudere neglexerit, quod facile conſtare poterit, ſi examinatus circa ea quæ in illo continentur, reſpondere neſciuerit, ad audiendum confeſſiones non admittetur: & qui mediocriter eruditi fuerint, ſtudeant ſibi familiaria reddere ea quæ grauiſſimus author ille congeſſit in libro qui Enchiridion Chriſtianæ religionis inſcribit, quē etiā pro uſu & cōmodo ſacerdotū imprimendū curauimus.

¶ Iuſtificatio ſuper faciendo examine confeſſorum, & de eligendo bonos & peritos confeſſores. C. 18.

QVum uideamus pleroſq; ſine penitentia, & ſine cōmunione, menſium, & annorum ſpatia in graue animarum ſuarū præiudicium degere, Quoſdam ad confitendum extremum ſacri ieiunii expectare, tuncq; eodem contextu, & errata cōfiteri & cōmunionem accipere, nulla præmiſſa, aut operis, aut lachrymarum ſatisfactione, quoſdam uero à non ſuis ſacerdotibus abſolui procurare, cui rei iſtos tam enormes exceſſus aſcribere debeamus, non facile excogitare poſſumus, niſi ꝙ tales hodie pœnitentiæ iudices aliquando eliguntur uiri indocti, cupidi, ſine charitate, ſine zelo, prius confitentium crumenas, quā conſcientias examinantes, unde ne iſtud tam neceſſarium ſacramentum, diuini profecto iuris inuentum, ab aliquibus contemni poſſit, celeri remedio, quantum Nobis a Deo datum eſt, ſuccurrere ſtudemus. quaobrem rogamus omnes religioſos prælatos, ut æquo animo ferant, ſi iuxta formam conſtitutionum ſacrorum cōciliorum Vienē. & ultimi lateranē. Nobis ſeu Vicario noſtro Religioſis præſentatis diligentes eſſe uelimus, in cognoſcenda eorū, qui confeſſionibus audiendis deputantur, ſufficientia, quando res tanti ponderis, & momenti non ſit per quoſlibet paſſim tractanda, Sæculares uero, qui non amplius numeroſam illam quantitatem cōfeſſorum uiderint, mirari deſiſtant, cum certiores facti ſint, quare iſtud Nos faciamus, qua quidem cauſa & ipſi expergefacti ex doctis doctiores, & ex bonis meliores eos ſibi eligāt patres ſpirituales, quibus tuto animarum ſuarum ſalutem, qua nihil hominibus præcioſius eſſe debet, credant, atq; committant. Beati Auguſtini conſiliū ſequentes, dum admonet, ꝙ qui uult confiteri peccata ſua ut inueniat gratiam, quærat ſacerdotem ſcientem ligare & ſoluere, ne cum negligens circa ſe ſit, negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet, & petit, ne ambo in ſoueam cadant, quoniam ſtultus errare uoluit, & ſubdit, qui ergo confiteri uult, omnino confiteatur ſacerdoti meliori quem inuenire poteſt.

¶ De non imponendo pœnitentiā pecuniariam. C. 19.

ET ſi in ſacris litteris elemoſinis redimi peccata mādatur, ſicut enim aqua extinguit ignem, ita elemoſina extinguit peccatum. Caueant

Digitized by Google

tamen Plebani, Rectores eccleſiarum, Religioſi quicunq; ad audiendas confeſſiones deputati, ne in confeſſionibus pro peccatis pœnitentias pecuniarias infligant, præſertim illas applicando uel ſibi, uel ſuo Monaſterio, uel eccleſiæ, aut cuiq; per ipſum nominãdo, ſed pro peccatis imponant pœnitentiam ieiuniorum, orationum, peregrinationũ, ſeu elemoſinarum, per pœnitentes, inter quos maluerint, diſpenſandarum, nõ quærentes, quæ ſua ſunt. ſed quæ Ieſu Chriſti, cum uero quem a confitente aliquid petiiſſe cõſtiterit perpetuo ab huiuſmodi officio ſuſpendi. & alia grauiori pœna, prout Nobis uidebitur, condẽnari uolumus, quod autẽ oblatum ſibi fuerit, recipere debent, ideſt non debent reſpuere, ex contẽptu ſuperbiæ, quantumcunq; magni prælati eſſent, cum tota eccleſiã Dei elemoſinis ſuſtẽtetur, & dñs noſter Ieſus Chrs elemoſinis uiuebat.

## ℭ Quod minus imponatur pœnitẽtia miſſarũ dicendarũ. C. 20.

SI autem uiſum fuerit ſacerdoti uelle pro pœnitentia pœnitenti iniũgere, quod faciat celebrare miſſas, cum ſemper timendum ſit, ꝙ potius auaritia, q̃ charitas ſit in cauſa. Volumus, ꝙ id ſimiliter confitentis libito remittatur, & omnino, ꝙ per alium non ſuſpectum tales miſſæ celebrentur, & per talem, qui ſibi ipſi confeſſori uicem non reddat. Non ergo parochialem præsbyterum conuicinum, qui ſimili morbo auaritiæ laborare poſſet, tutius tamen eſt, ꝙ tales pœnitentiæ non imponantur, & ſanum eſt conſiliũ, a talibus impoſitionibus, ſicut & a periculoſis contractibus abſtinere, quia quicquid auari ſacerdotes ſub prætextu charitatis, & pietatis de foris palliant, cogitationes tamẽ ſuas & intentionem ſi quam habent de recipiendis oblationibus, omnipotenti Deo nequeũt occultare.

## ℭ De apponendo in qualibet eccleſia cedulam cum nominibus deputatorum ad confitendum. C. 21.

PRiores, Præpoſitos, Guardianos, Cuſtodes, Vicarios, & alios quorumuis mendicantium fratrum, & aliorum quorũcunq; religioſorum Præfectos monaſteriorum, & eccleſiarum ciuitatis, & Dioc. Veroneñ. Hortamur in Dño, eiſq; in uirtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excõmunicationis latæ ſententiæ pœna Mãdamus, & Præcipimus, ut in eccleſiarum ſuarum, & conuentuum loco ad legendum aptiore, cartam præſentatorum ſuorum religioſorum per nos approbatorum nomina continentem, ab officio noſtro acceptam, atq; ſigillo noſtro, uel Vicarii noſtri munitam, ſtatuant, & affigant. quatenus qui uoluerint ipſis religioſis confiteri, uideatur prius, ſi ſint de nominatorũ, & approbatorum numero, alīs abſolutos ſe non fore intelligant. Qui autẽ nõ approbatus ſe in audiendis confeſſionibus ingerere auſus fuerit grauiter punietur.

Digitized by Google

¶De loco, tempore, & modo, quibus uti debent ſacerdotes in confitendo: & de confeſſorio. C. 22.

AD euitanda ſcandala, quæ in confeſſionibus pœnitẽtialibus ſolẽt hinc inde quandocunq; contingere, ſancimus, ut confeſſiones, & præſertim mulierum, in eccleſiis poſthac audiãtur in loco aperto, & euidenti, ita ut audiens pariter, & confitens palam uideantur. Item ante ortum ſolis non audiantur, nec poſt occaſum, Interrogationes ne fiant ſuper non interrogandis, caute ſemper procedendo, ne quoquo modo pœnitens de modo inſtruatur, ſed potius ab ore ipſius, qui cõmiſit extrahatur, & ſi forte per confeſſionẽ hominis uel mulieris, horribile peccatum audierit, nõ ſpuat, nec faciem torqueat, aut faciat ſignum aliquod, propter quod peccatorem deterreat, uel rubore, ſeu uerecundia confundat, ut reliqua peccata ſibi timeat reuelare, Quoties autem feminam in confeſſione audire contigerit. Volumus, q̃ inter ſacerdotem confitentem, & mulierem ſit tabula una cum ſua feneſtrella, ſuper qua ſit una gradata, ſeu lamina perforata, quam tabulã confeſſoriũ denominauimus, prout in oĩbus eccleſiis tales tabulas, ſeu cõfeſſoria in uſu haberi mãdauimus.

¶De caſibus pœnitentialibus D. Epõ reſeruatis. C. 23.

QVia nonnulli tam ſæculares, quam religioſi terminis ſuis nõ contenti, in perditionem animarum in caſibus ſedi apoſtolicæ, aut nobis reſeruatis, in Ciuitate & Dioc. noſtra ſubditos noſtros abſoluere præſumunt, licet de hoc nullam acceperint poteſtatẽ, præſenti decreto inhibemus, ne deinceps nudo uerbo ipſorum aſſerentium ſe talem habere poteſtatem, niſi alĩs de poteſtate huiuſmodi fecerint fidem legitimis documentis, credatur, declarãtes abſolutiones eorum in caſibus prædictis factas, nullas eſſe, niſi hoc ſpecifice a ſede apoſtolica, aut a Nobis ſeu Vicario noſtro eis ſit conceſſum, Inſuper omnibus ſupradictis inhibemus, ne de caſibus epiſcopalibus nobis reſeruatis, quos duximus inferius annectendos eſſe, ſe intromittere audeãt, ſed ad Nos, ſeu Vicarium noſtrum omnes infraſcripti remittantur. Decernẽ. abſolutionem per eos abſq; ſpeciali noſtra conceſſione ſeu Vicarii noſtri, in caſibus huiuſmodi præterq̃ in mortis articulo factam a uiribus carere, & cõtrarium facientes, ſiue religioſi ſiue ſæculares fuerĩt, ab audientia confeſſionum ſint eo ipſo priuati. Ad noſtrum præterea arbitrium pœnitentiam acturi.

¶Caſus reſeruati.

DE excõicatis quacunq; excõicatione maiori, a iure, uel ab homine & cum denunciatis, ſcienter participantibus in crimine.

Digitized by Google

De ſortilegiis,& artem magicam exercentibus.
De abutẽtibus hoſtia ſacra,oleo ſãcto,& Chriſmate,& aliis rebus ſacris.
De Cõmutatiõe quorũlibet uotorũ,niſi ſint pegrinationes intra Dioc.
De male ablatis certis,uel incertis,ſi non extant illi,quibus eſt reſtituẽñ. a decem libr̃. ſupra.
De contrahentibus Matrimonium,contra mandata, uel inhibitionem ſuperioris, & tempore interdicto, uel ſtante primo Matrimonio,uel clandeſtine,niſi poſtea facta publicatione.
De publicis criminibus enormibus,& de illis,quibus ſolẽnis pœnitẽtia eſt iniungenda,niſi publice pœniteant.
De oppreſſionibus filiorũ ex propoſito,uel caſu, uel al's quomodocunq; ex craſſa negligentia uel detinentibus infantes ſecum in lecto, quãdo dormiunt,ſi cõmode poſſunt aliter tenere.
De homicidio quocunq; modo perpetrato.
De falſo teſtimonio in iudicio,uel falſe iurãtibus in iudicio, & quolibet alio periurio præiudiciali.
De facientibus fieri,mandantibus,aut atteſtantibus falſum inſtrumentum,uel bullas,ſeu litteras aliquas publicas falſificantibus.
De inceſtu uſq; ad quartum gradum incluſiue conſanguinitatis,aut affinitatis,uel ſpiritualitatis.
De corruptione Monialium tam profeſſarum,q̃ non.
De intrantibus Monaſteria ipſarum Monialium,& de illis, qui acceſſerunt,& accedent etiam ad ipſas uiſitandum, uel alloquendum,etiam ad parlatoria ſine licentia,& de ipſis Monialibus clauſtra egredientibus ſine licentia ſuperioris in ſcriptis.
De commiſcentibus ſe carnaliter cum infidelibus,cum brutis,& coeuntibus contra naturam, ſeu cum his,qui ſunt in aliquibus ordinibus conſtituti,tam actiue,q̃ paſſiue.
De euntibus ad Sinagogas,nuptias,ſeu feſta Iudeorum.
De uerberantibus clericos, & illos ad forum ſæculare trahentibus, ſeu in eo moleſtantibus.
De raptoribus Mulierum.
De uiolantibus per uim Virgines.
De Simonia etiam ignoranter,& in ſimplici beneficio contracta.
De uerberantibus patrem,aut matrem.
De incendiariis quibuſcunq; uolentibus,ſeu uoluntariis, ſeu auxilium, uel conſilium præſtantibus.
De mãducantibus carnes tempore Quadrageſimæ abſq; legitima cauſa,& conſilio utriuſq; medici.
De fractoribus, & uiolatoribus eccleſiarum immunitatis, ac libertatis eccleſiaſtice.
De occupantibus res ſacras,aut bona,& iura Ep̃atus, & aliarum eccleſiarum

Digitized by Google

ſiarũ,uel piorũ locorũ,eorumq́ ſi ſciũt,occupatores nõ reuelãtibus,

De occupantibus eccleſias uacantes,eisq; dãtibus auxilium, conſilium uel fauorem,medio laicorum.

De laicis gubernantibus Hoſpitalia,ſcolas, & loca pia,niſi prius reddãt rationes adminiſtrationis,& bonorum ad manus ſuas peruẽtorum.

De eligentibus rectores,& præsbyteros in eccleſiis uacantibus ſub falſo prætextu iuris patronatus,& de ſacerdotibus, uel clericis talibus electionibus conſentientibus,ſeq́ intrudentibus in dicta beneficia.

De clericis non incedentibus in habitu & tonſura.

De polluentibus uoluntarie eccleſiam, ſanguinis,uel ſeminis effuſionẽ.

De Præsbyteris reuelantibus confeſſiones ſacramentales, uel aliquid accipientibus pro confeſſione,ex conuentione.

De his,qui pro legatis ad pias cauſas infra tempus a iure uel ab homine ſtatutum non ſatisfecerunt,uel ordinario nõn denuntiauerunt.

De Mulieribus partus alienos ſupponentibus,eisq́ auxilium,conſilium uel fauorem præſtantibus.

De uxoribus,quæ ex alieno uiro conceperunt,ſi partus uiuunt,& pro filiis a marito reputantur.

De mittentibus proprios filios ad locum pietatis,ſi eis facultates ſuppetant,niſi de alimentis eis prouideant.

De Concubinariis, & tenentibus fœminas de incontinentia ſuſpectas, qui pluries moniti deſiſtere noluerunt.

De ueneficis,'uel dantibus farmaca aut potiones,ut quis moriatur, ſeu ne mulier concipere poſſit,uel ut faciat abortum.

De Hæreticis, ſciſmaticis,& uſurariis manifeſtis, & notariis rogatis de aliquo contractu uſurario.

De uiris deſerentibus uxores ſine cauſa legitima,& econuerſo.

De ordinatis ad ordines aliquos eccleſiaſticos, ſine licẽtia ſui ordinarii, ſeu etiam per ſaltum,& de celebrãtibus in eccleſia polluta, interdicta, ſeu cum calice,uel altari non ſacratis ſcienter,aut ante diem, uel poſt nonam,uel in domibus priuatis ſine licentia ſuperioris.

De ſepelientibus hæreticum,excõicatum,interdictum, uſurarium manifeſtum,& quoſlibet ſimiles in loco ſacro.

## ¶ De caſibus reſeruatis in Bulla cœnæ domini. C. 24.

QVum non ita paſſim per ſingulorum manus Bulla,quæ in die cœnæ domini Romæ quotannis publicari conſueuit,tranſire ſoleat, & locorum ordinarii ubiq́ conſtituti in uirtute ſanctæ obedientiæ per ſed. Apoſtolicam arctentur, ꝙ dictam Bullam ſolenniter ſaltem ſemel in anno,aut pluries,prout expedire uiſum fuerit,publicari, & ad Chriſti fidelium mentes deduci,nuntiari,& declarari faciat,Nos pro maiore ſa-

cerdotum curatorũ Ciuitatis, & Dioc. Noſtræ cõmodo, dictam Bullã quæ fere ſemper eoſdem caſus complecti ſolet, poſt dictos caſus Epiſcopales, imprimendam curauimus, in qua ſi quid aliquo anno immutatũ, diminutum, uel additum fuerit, id quoq; omni diligentia ad ſingulorũ noticiam deducere ſtudebimus. Quod & tanto libentius fecimus, quoſ ſacerdotes ipſi cõmodius, & facilius iuxta ſedis Apoſtolicæ Decretum in eorum eccleſiis, quoties expedire cognouerint, dum maior populi aderit multitudo dictam bullam, & in ea contenta publicare, & uulgari ſermone declarare ualeant, & debeãt, & dictos caſus ſibi familiares frequenti lectione reddẽt. excommunicationis pœnam euadant latam contra confeſſores illos, qui in præmiſſis caſibus quenquam abſoluere attentauerint, a qua non niſi per Romanum Põtificem poſſint liberari præterquam in mortis articulo conſtituti, ut latius Sixtus quartus in extrauagañ. & ſi dominici, &c.

# BVLLA S. D. N. D. PAVLI PAPÆ III. AD FIDELIVM SOCIETATEM ab omni offenſione præſeruandam, In cœna Domini ædita. Anno M D XLII.

## IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS patris & filii, & ſpiritusſancti. Amen.

*Initiũ tranſumpti Bullæ.*

NOVERINT Vniuerſi hoc præſens publicum tranſumptum inſpecturi q̃ nos Ioannes Baptiſta Cicada V. I. D. Sedis Apoſtolicæ Prothonotarius. S. D. N. Papæ eiuſq; Camerarii, necnon Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, Romanæq; Curiæ iudex ordinarius, ſententiarumq;, & cenſurarum in eadem Ro. Curia latarum, ac literarum Apoſtolicarum uniuerſalis executor, habuimus, uidimus, & diligenter inſpeximus, literas apoſtolicas S. D. N. D. Pauli, diuina prouidentia Papæ. III. hodie, qui fuit dies Iouis ſancta, & Cœnæ Domini ſolenniter more ſolito, lectas, & publicatas eiuſq; uera Bulla plumbea cum cordula rubei, crocciq; colorum, more Ro. curiæ pendente, bullatas, & omni ſuſpitione carentes, ſubſequentis tenoris.

Digitized by Google

Paulus Epſ ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuā rei memoriā.

Conſueuerunt Ro. Pontifices prædeceſſores noſtri ad retinendam puritatem religionis Chriſtianæ,& ipſius unitatem,(quæ in coniūctione membrorum ad unum caput Chriſtum, uidelicet, eiusq; Vicarium principaliter conſiſtit)& ſanctam fidelium ſocietatem ab offenſione ſeruandam, arma iuſtitiæ per miniſterium Apoſtolatus in præſenti celebritate exercere.

*Prooemium Bullæ.*

¶ Nos igitur uetuſtum,& ſolennem hunc morem ſequentes, excōmunicamus,& anathematizamus ex parte Dei omnipotētis,patris, & filii, & ſpiritusſancti,authoritate quoq; beatorum Apoſtolorū Petri, & Pauli,ac noſtra,omnes hæreticos, gazaros patarenos, pauperes de Lugduno,arnaldictas,ſperoniſtas paſagerios,uuicleffictas,ſeu huſſictas, fraticellos de opinione nūcupatos,necnon per ſe re. Leonem papam. X. prædeceſſorem noſtrum,ſuperioribus annis damnatam impiam, & abhominabilem Martini Lutheri hæreſim ſequentes,ipſiq; Martino quominus puniri poſſit quomodolibet fauentes, & quoſlibet alios hæreticos quocunq; nomine cēſeātur,ac omnes fautores & receptatores, librosq; ipſius Martini,aut quorumuis aliorum eiuſdem ſectæ, ſine authoritate noſtra,& ſedis apoſtolicæ,quomodolibet legentes aut in ſuis domibus tenentes,imprimentes, aut quomodolibet defendentes, ex quauis cauſa,publice,uel occulte,quouis ingenio,uel colore, & generaliter quoſlibet defenſores eorundem.

¶ Item excommunicamus,& anathematizamus omnes pyratas, curſarios,latrunculos maritimos, & illos præcipue, qui mare noſtrum a monte Argentario uſq; ad Terracinam diſcurrere, & nauigantes in illo depredari,mutilare,interficere,ac rebus, & bonis ſuis ſpoliare præſumpſerunt hactenus,& præſumunt,ac omnes receptatores eorundem,& in eis auxilium dantes,conſilium,uel fauorem.

*In piratas et fautores eorum.*

¶ Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris ſuis noua pedagia imponunt,uel prohibita exigunt.

*In imponentes noua pedagia.*

¶ Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios bullarum,ſeu literarum apoſtolicarum,& ſupplicationum,gratiam, uel iuſtitiam concernentium, per Ro. Pontificem,uel Vicecancellarium, ſeu gerentes uices eorum,aut officium Vicecancellarii. S. R. E. de mandato eiuſdem Ro. Pontificis ſignatarum,aut ſub nomine eiuſdem Ro. Pōtificis,ſeu Vicecancellarii,aut gerentium uicem prædictorū ſignantes ſupplicationes eaſdem,extendentes capitulum ad falſariorum, cum omnibus pœnis in eo contentis,ad falſificantes,ſeu mutantes ſupplicationes, per nos,ſeu de mandato noſtro ſignatas,& datas,ſine noſtra, aut Datarii noſtri licentia.

*In falſificatores literarū, & ſupplicationū apoſtolicarum.*

¶ Item excōmunicamus,& anathematizamus omnes illos, qui equos, arma,ferrum,filum ferri,ſtagnum,chalybem,omniaq; alia metallorum

*In deferētes prohibita ad*

*terras infidelium*

genera,atq; bellica inſtrumenta,lignamina,canapum,funes,tam ex ipſo canapo,q̃ ex quacunq; alia materia,& ipſam materiam, aliaq; prohibita deferũt ſaracenis,turcis,& aliis Chriſti nominis inimicis,quibus chriſtianos impugnant Necnon illos,qui per ſe,uel alium,ſeu alios de rebus Chriſtianæ Reipub.ſtatum concernentibus in chriſtianorum perniciẽ, & damnum,ipſos Turchas,& Chriſtianæ religionis inimicos, certiores faciunt,illisq; conſilium quomodolibet præſtant,non obſtan. quibuſuis priuilegiis,& conceſſionibus quibuſcunq; principibus,aut dominis, ſeu priuatis perſonis.per nos & ſedem prædictam hactenus forſan conceſſis,quæ illis nolumus in alios ſuffragari.

*In impedientes eos, qui uictualia ad urbem deferunt.*

¶ Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeu inuadentes uictualia,ſeu alia ad uſum Ro.Curiæ neceſſaria adducẽtes,uel qui ne ad Ro.Curiam adducantur,uel deferãtur,impediunt, ſeu perturbant,uel qui talia faciunt.uel deferendum,cuiuſcunq; fuerint ordinis,præeminentiæ,conditionis,& ſtatus,etiam ſi pontificali,regali, reginali,aut alia quauis eccleſiaſtica,uel mũdana præfulgeãt dignitate.

*In eos q̃ uenientes Ro. uel ibi cõmorantes offendunt.*

¶ Item excommunicamus,& anathematizamus omnes illos,qui ad ſedem apoſtolicam uenientes,& recedẽtes ab eadem,necnon omnes illos, qui iuriſdictionem ordinariam,uel delegatam aliquam non habentes, in eadem curia morantes,temeritate propria,rapiunt,ſpoliant, & detinent,aut ex propoſito deliberato uerberare,mutilare,uel interficere præſumunt.& qui talia fieri faciunt,ſeu mandant.

*In eos q̃ manus iniciũt in prelatos.*

¶ Item excõmunicamus,& anathematizamus oẽs temere mutilantes, uerberantes,uulnerantes,interficientes,capientes,incarcerãtes & detinẽtes Patriarchas,Archiepiſcopos,& Epiſcopos,eorumq; mandatores.

*In eos q̃ cauſarum in curia pendentium curſum & literarũ apoſtolicarũ executionem impediunt.*

¶ Item excõicamus,& anathematizamus omnes illos,qui per ſe,uel alium,ſeu alios,quaſcunq; perſonas eccleſiaſticas,uel ſeculares ad Ro.Curiam ſuper eorum cauſis,& negotiis recurrentes illaq; in eadem curia proſequentes,aut procurantes,negotiorumq; geſtores,aduocatos,procuratores ipſorum,uel etiam auditores,ſeu iudices,ſuper dictis cauſis ſeu negotiis deputatos,occaſione cauſarum,uel negotiorum huiuſmodi,uerberant,mutilant,uel occidunt,ſeu bonis ſpoliant,ac illos,qui ne aliquas litteras apoſtolicas,etiam in forma breuis,tam gratiam,q̃ iuſtitiam cõcernentes,etiam citationes,monitoria,& executoriales, quæ a ſede apoſtolica emanarunt,& pro tempore emanabunt,ſine eorum beneplacito, & examine executioni demandent,inhibent,ac notarios,executores uel ſubexecutores literarum,monitoriorum,& citationum,ac executorialium huiuſmodi capiunt,incarcerant,& detinent,uel capi,incarcerari, & detineri faciunt,necnon qui ne litteris,& mandatis ſedis prædictæ & legatorum,Nunciorum,& Iudicum delegatorum eiuſdem,ſimiliter gratiam,uel iuſtitiam concernentibus,decretiſq; ſuper illis & rebus iudicatis,proceſſibus & executorialibus, non niſi habito primum eorum be-

*In eos q̃ eccleſiaſtica bona uſurpãt.*

neplacito,& aſſenſu pareatur per eorum literas executoriales & alias nũcupatas,& certo precio ſoluto,neue tabelliones,& notarii, ſuper huiuſmodi litterarum,& proceſſuum executione,inſtrumenta,uel acta cõficere,aut facta parti,cuius intereſt,tradere debeãt quiue ſub quibus uis pœnis,quibuſcunq; perſonis in genere,uel in ſpecie, ne pro quibuſuis eorũ negotiis proſequendis,ſeu gratiis impetrandis ad Ro Curiam accedant aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas a ſede Apoſtolica impetrent, aut impetratis utantur,directe,uel indirecte,etiam ſub grauiſſimis pœnis prohibere,ſtatuere,ſeu mandare quiue in animarum earundem periculum ſe a noſtra,& Ro.Pontificis pro tẽpore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahere ſeu quomodolibet recedere præſumunt, quiue ex eorum officio,uel ad inſtantiam quorumcunq; perſonas eccleſiaſticas, capitula,conuentus,& collegia,eccleſiarum quarumcunq; coram ſe ad eorum tribunal audientiam,cancellariam,conſilium,uel parlamẽtum, præter iuris communis diſpoſitionem trahũt,aut trahi faciunt,uel procurant,directe,uel indirecte,quouis quæſito colore necnon qui ſtatuta, ordinationes,conſtitutiones pragmaticas,ſeu quæuis alia decreta in genere,uel in ſpecie,ex quauis cauſa,& quouis quæſito colore,etiam ſub ꝑtextu litterarũ apoſtolicarũ in uſum non receptarũ,ſeu reuocatarũ hactenus fecerũt,ordinarunt,& publicarunt,aut facient,ordinabũt,uel publicabunt in futurũ,ꝑ quas,& ꝙ libertas eccleſiaſtica tollitur,ſeu in aliquo lædatur,uel deprimitur,aut alīs quouis modo reſtringitur, ſeu noſtris,& dictæ ſedis iuribus quomolibet tacite,uel expreſſe preiudicatur.

¶ Quiue iuriſdictiones,ſeu fructus,redditus,& prouentus ad eccleſiaſticas perſonas ratione eccleſiarum,monaſteriorũ,& aliorum beneficiorũ eccleſiaſticorum per eas obtentorum pertinentes uſurpant,uel ſurripiũt ſeu quauis occaſione uel cauſa ſine Ro.Pontificis expreſſa licẽtia ſi que ſtrant,aut collectas,decimas taleas præſtantias & alia onera clericis,ꝑlatis,& aliis perſonis eccleſiaſticis,ac eorum,& eccleſiarum,monaſteriorum,& aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum, bonis illorum, fructibus,redditibus,& prouentibus huiuſmodi,abſq; ſimili Ro Pont.ſpeciali,& expreſſa licentia imponunt,& diuerſis etiam exquiſitis modis exiguunt,aut a ſponte etiam dantibus,& conſentientibus recipinut,nec nõ qui per ſe uel alium,ſeu alios,directe uel indirecte prædicta facere, exequi,uel procurare aut in eiſdem auxilium,cõſilium,uel fauorem,aut uotum ſeu ſuffragium,palam,uel occulte præſtare uereantur, cuiuſcunq; ſint præeminentiæ,dignitatis,ordinis aut conditionis,uel ſtatus,etiam ſi imperiali,aut regali præfulgeant dignitate,ſeu Principes,Duces, Comites,Barones,Reſpublicæ,& alii potentatus quicunq; etiam regnis,ꝓuinciis,ciuitatibus,& terris quoquo modo præſidentes fuerint,aut quauis etiam pontificali dignitate præfulgeant. Innouamuſq; decreta ſup his,tam per ſacros canones,& concilia generalia,ꝙ etiam in Lateranen.

*In eos,ꝗ decimas,aut talias quaſcũq; pſonis eccleſiaſticis ĩponunt, aut exigũt,ac aſſenſum, auxilium,uel conſiliũ pręſtãt.*

Digitized by Google

concilio nouiſſime celebrato edita, etiam cum interdicti eccleſiaſtici, ac aliis cenſuris, & pœnis in eis contentis.

*In officiales & prælatos, qui ſpirituales cauſas a iudicibus apoſtolicis auocãt, et executionẽ literarũ, & mãdatorũ apoſtolicorũ impediunt.*

¶ Item excõmunicamus, & anathematizamus omnes & ſingulos Cancellarios, Vicecancellarios, & Conſiliarios, ordinarios, & extraordinarios, quorumcunq; Regum & Principum, ac Præſidentes cancellariarũ & conſiliorum, ac parlamentorum, necnon procuratores generales eorumdem, uel aliorum Principum ſæcularium, etiam ſi imperiali, regali, ducali, uel alia quacunq; præfulgeant dignitate, necnõ Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Commendatarios, eorumq; Vicarios, & officiales: qui per ſe, aut alium, ſeu alios, quarumcunq; exemptionum, uel aliarum gratiarum, & litterarum apoſtolicarum, necnon decimarum, & beneficiales, ac alias ſpirituales, & ſpiritualibus annexas cauſas, ab auditoribus, & Commiſſariis noſtris (ut eorum uerbis utamur) auocant, ac executiones monitoriorum, citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, executorialium, & aliarum litterarum apoſtolicarum, tam gratiam, q̃ iuſtitiam concernentium, a nobis, necnon cameræ Apoſtolicæ, ac Auditoribus, & Commiſſariis apoſtolicis in eiſdem cauſis pro tempore emanatarum, illarumq; curſum, & audiẽtiam, ac perſonas, capitula, conuẽtus, & collegia, cauſas ipſas proſequi uolentes authoritate laicali impediunt, & ſe de illarum cognitione tanq̃ iudices intromittere, ac partes actrices, quę illas committi fecerunt, & faciunt, ad reuocandum, ſeu reuocari faciendum, citationes, uel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, a cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolui ordinãt, uel compellunt, uel alias executionem literrarum apoſtolicarum, uel executorialium, etiã ſub prætextu uiolentiæ prohibendæ impediunt.

*Quod nulla ſolennis pontificia abſolutio comprehendit eos, q ſupradicta ſtatuta libertatẽ eccleſiaſticã ledentia condunt.*

¶ Declarantes nihilominus, ac proteſtantes, prout tenore præſentium declaramus, ac expreſſe proteſtamur, abſolutionem hodie/uel al's/ etiam ſolenniter per nos/uel auctoritate noſtra/etiam in uim ſpecialis facultatis faciendam præfatos ſupranominatos, & qualificatos Cancellarios/ Vicecancellarios/Conſiliarios, & Procuratores, ac alios excommunicatos p̃dictos, niſi prius ſtatim ſtatuta/ordinationes/ cõſtitutiones/pragmaticas, & decreta huiuſmodi/publice reuocarint, & ex archiuiis/ſeu capitularibus locis/aut libris, in quibus annotata reperiũtur, deleri, & caſſari, ac nos de reuocatione, & caſſatione huiuſmodi certiores fecerint, & al's a præmiſſis cum uero propoſito ulterius ſimilia non committendi deſtiterint, comprehendere, ne illis aliter ſuffragaturam fore, ac in præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac aliis quibuſcunq; iuribus ſedi Apoſtolicæ, ac S.R.E. undecunq;, & quomodolibet quæſitis/ſeu quærendis per quoſcunq; actus contrarios, aut quomodolibet præiudicantes/tacitos/ uel expreſſos/a nobis/uel ſede apoſtolica quomodolibet factos/aut faciẽdos/aut quemcunq; temporis curſum/ſeu patientiam/ uel tolerantiam

Digitized by Google

noſtram nullatenus præiudicari debere, aut quomodolibet poſſe.

¶ Item excommunicamus, & anathematizamus omnes mutilantes/ uulnerantes, & interficientes/ſeu capientes, & detinentes/ſeu depredantes romipetas, & peregrinos ad Vrbem cauſa deuotionis/ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes/uel recedentes ab ipſa, & in his dantes auxilium/conſilium/uel fauorem.

*In eos, q peregrinos ad urbẽ uenientes offẽdũt.*

¶ Item excõmunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe/ uel alium/ſeu alios/directe/uel indirecte/ſub quocunq; titulo/uel colore de facto occupant, detinent, uel hoſtiliter deſtruunt, ſeu inuadũt, aut occupare, detinere, uel deſtruere, aut inuadere hoſtiliter præſumunt, in totum/uel in partem Almam Vrbem, Regna Siciliæ, ſeu Trinacriæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, terras citra Pharum Patrimonium beati Petri in Tuſcia, ducatum Spoletanum, Comitatum Venayſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimæ prouincias, illarumq; terras, & loca, ac terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, ciuitateſq; noſtras Bononiam, Fauentiam, Imolam, Forliuium, Rauẽnam, Ceruiam, Ceſennam, Ariminum, Beneuentum, Peruſium, Auinionem, Ciuitatem Caſtelli, Tudertum, & alias ciuitates, terras, & loca, uel iura ad ipſam Ro. Eccleſiam ſpectantia, & ꝑtinentia, ac ſupremam iuriſdictionem in illis nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competẽtem de facto uſurpare, perturbare, & uexare, uariis modis præſumunt, necnon adhærentes, & fautores, & defenſores eorum, ſeu in his dantes auxilium, conſilium, uel fauorẽ quomodolibet præſtãtes.

*In eos, q terras, ſeu iura eccleſiæ Ro. occupãt, uel inuadunt.*

¶ Item excõmunicamus, & anathematizamus omnes ſanctarum reliquiarũ, & ornamentorum eccleſiaſticorum quorumcunq; calicum, crucum, candelabrorum, thuribulorum, uaſorum argẽteorum, & aureorũ, ac ueſtium ſacrarum ad diuinum cultum, & uſum deputatarum, ex Baſilicis, & Eccleſiis, tã Vrbis, q̃ extra illius mœnia cõſiſtentibus, & aliarũ quarumcunq; rerum in ipſa Vrbe tẽpore illius direptionis, uſq; ad præſentem diem nequiter ablatarum, ablatores & illarum occupatores, ac quoſcunq; alios, ad quorum manus res ipſæ quocunq; titulo, & ex quauis cauſa ſcienter peruenerint, & exiſtant, cuiuſcunq; fuerint ordinis, uel, præeminentiæ, cõditionis, & ſtatus/etiã ſi pontificali/regali, reginali, aut alia quauis eccleſiaſtica/uel mũdana ꝑfulgeat dignitate, niſi reſtituerint res ablatas huiuſmodi earum ueris dominis, ſi earum notitiam habuerint, uel cum ipſis dominis deſuper amicabiliter concordauerint, ſeu ſi eoſdem dominos ignorauerint, niſi res ipſas ad manus perſonarum ad hoc per nos deputatarum conſignauerint realiter & cum effectu.

*In eos q res ſacras: uel in direptiõe urbis ablatas abſtulerant: ſeu detinent ablatas.*

¶ Non obſtãtibus quibuſcunq; priuilegiis & indulgẽtiis, ac literis apoſtolicis, generalibus/uel ſpecialibus eis/uel eorũ alicui/uel aliquibus, cuiuſcunq; ordinis/ſtatus/uel conditionis/dignitatis/uel præeminẽtiæ fuerint, etiã ſi (ut ꝑmittitᷣ) põtificali, impiali, regali, reginali, ſeu quauis alia

*Quod priuilegia: indulgentię: ac cõfeſſionalia*

*non ſuffragātur cōtra præmiſſa.*

eccleſiaſtica uel mundana præfulgeant dignitate, a prædicta ſede ſub quauis forma uel tenore conceſſis, ꝙ excōmunicari, uel anathematizari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de uerbo ad uerbum de indulto huiuſmodi, ac ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorū mentionem, necnō conſuetudinibus, & obſeruantiis, ſcriptis, & non ſcriptis, & aliis contrariis quibuſcunq;, per quæ contra noſtros proceſſus huiuſmodi, ac ſentētias quominus includantur, in eis ſe iuuare ualeát, uel tueri, & quæ quo ad hoc penitus tollimus, & omnino reuocamus. Et a quibus quidē ſententiis nullus per alium, q̄ per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus abſolui poſſit, nec etiam tunc niſi de ſtando S R. E. mandato ſatisfatione, & ſufficienti cautione præſtitis, etiam prætextu confeſſionalium, ſeu quarumuis facultatum uerbo literis, aut quauis alia ſcriptura, etiam in qua, ꝙ ſola ſignatura ſufficeret, conceſſum eſſet, & quæuis, & derogatoriarum derogatoriæ, fortiores, & efficatiores, ac inſolitæ clauſulæ apparerent, quibuſuis perſonis, tam eccleſiaſticis, q̄ ſæcularibus, cuiuſcunq; præeminentiæ, conditionis, ordinis, & ſtatus, etiā ſi pontificali, regali, reginali, uel quauis alia præfulgeant dignitate, necnon capitulis, collegiis, cōuentibus, ordinibus, etiā mendicantiū, & militiarū hoſpitalibus cōfratriis, uniuerſitatibus, a nobis, uel a p̄dicta ſede conceſſarum, & quas concedi continget quomodolibet in futurum.

*In abſoluentes trāsgreſſores.*

¶ Illos autem qui contra tenorem præſentium talibus uel eorū alicui, ſeu aliquibus abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, excōicationis, & anathematizationis ſententia innodamus, eiſq; p̄dicationis, electionis, adminiſtrationis ſacramentorū, & audiendi confeſſiones officia interdicimus, prædicentes, & declarantes aperte tranſgreſſoribus, & contemptoribus prædictis, nos grauius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire cognouerimus proceſſuros, & nihilominus quicquid egerint abſoluendo, uel al's nullius ſit roboris, uel momenti.

*Quod bulla publicetur i ualuis. s. Io. Lateraň. & Pricipis Apoſtolorum de urbe.*

¶ Vt autem huiuſmodi noſtri proceſſus ad communem omnium notitiam deducantur, chartas, ſeu membranas proceſſus continentes eoſdem in ualuis baſilicarum principis Apoſtolorum, & ſancti Ioannis Lateranenſis de Vrbe affigi, ſeu appendi fecimus, quæ proceſſus ipſos quaſi ſonoro præconio, & patulo iudicio publicabunt, ut hi, quos proceſſus huiuſmodi contingunt, ꝙ ad ipſos nō peruenerint, aut ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere, ſeu ignorantiam allegare, cum nō ſit ueriſimile quo ad ipſos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

*Quod Bulla publicetur p̄ locorū ordi*

¶ Verum ut præſentes literæ, ac omnia & ſingula in eis cōtenta, eo fiāt notiora, quo in pluribus ciuitatibus, & locis fuerint publicata, uenerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis,

ſcopis,& locorum ordinariis ubilibet conſtitutis per hæc ſcripta committimus,& in uirtute ſanctæ obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus,quatenus per ſe,uel alium,ſeu alios,præſentes litteras poſtq̄ eas receperint,ſeu earū habuerint notitiā,ſaltem ſemel in anno, aut pluries prout expedire uiderint, in eccleſiis ſuis dum maior in eis populi multitudo ad diuina conuenerit,ſolenniter publicēt,ad Chriſtifidelium mētes deducant,nuncient,& declarent. *dinarios ſaltem ſemel in anno.*

¶ Decernentes earundem præſentium trāſumptis/etiam impreſſis/manu Notarii publici ſubſcriptis,& ſigillo alicuius Iudicis ordinarii Romanæ Curiæ munitis eandem prorſus fidem in iudicio,& extra ubilibet adhibēdā fore,q̄ ipſis p̄ſentibus adhiberetur,ſi forēt exhibitæ uel oſtēſę. *Quod adhibeatur fides tranſumptis publicatio Bullæ.*

¶ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginā noſtræ excomunicationis anathematizationis/extenſionis/reuocationis/ innodationis/ interdicti,innouationis,proteſtationis/declarationis/cōmiſſionis,mandati/uoluntatis,& decretorum infringere,uel ei auſu temerario contraire.Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei,ac beatorꝫ Petri,& Pauli Apoſtolorꝫ eius,ſe nouerit icurſurꝫ.

¶ Datum Romæ apud Sanctū Petrū,Anno incarnationis Dominicæ M D XLII. Octauo Idus Aprilis,Pontificatus noſtri anno Octauo.

B. Motta.

Anno a Natiuitate D̄ni M. D XLII.Indict.xv.Die uero Iouis.vi.mēſis Aprilis,Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto patris, & domini noſtri domini Pauli diuina prouidentia Papæ tertii,Anno Octauo Retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ,& publicatæ fuerunt;in Sancti Ioannis Lateranenſis,ac Principis Apoſtolorum de Vrbe baſilicarꝫ ualuis/ ſeu portis/dimiſſis ibidē per aliquod tēporis interuallū affixis per nos Thomā Roger,& Nicolaū Mathæi prælibati.S.D.N.Papæ Curſores, *Continuatio trāſumpti.*

Gulielmus Marigleri Magiſter Curſorum.

QVibus quidem literis diligēter inſpectis illas ad requiſitionē Egregii uiri Magiſtri Petri Antonii de Angelinis S.D.N.Papæ,& Cameræ Apoſtolicæ Procuratoris Fiſcalis,p Notariū publicū infra ſcriptū exemplari mandauimus,& tranſumi,& in hanc publicā trāſumpti formam redigi,decernentes,& uolentes,ut huic præſenti tranſumpto iuxta earundem literarum,& decreti in eis appoſiti continentiam, & tenorem plena fides ubiq; adhibeatur,ac ſi ipſæ originales literæ exhibitę, uel oſtenſæ forent,quibus omnibus & ſingulis authoritatem noſtrā ordinariā interpoſuimus,& ad ampliorem euidentiam pręmiſſorum ſigillum noſtrum,quo in talibus utimur,præſentibus duximus apponendū. In quorum omnium,& ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorū, præſentes literas,atq; præſens publicum tranſumpti inſtrumentum exinde fieri,& per Notarium publicum,noſtrumq;, & dictæ Curiæ corā no- *Decretum.*



Digitized by Google

bis ſcribam infraſcriptũ ſubſcribi, & publicari mãdauimus, ſigilliq; no- Data. ſtri iuſſimus, & fecimus impreſſione muniri. Datum Romæ in domibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub anno a Natiuitate Dñi M D. XLII. Indictione. xy. Die uero ſexto menſis Aprilis Pontificatus Sanctiſſimi in Teſtes. Chriſto Patris & D. N. D. Pauli, diuina ꝓuidentia, Papæ. III. Anno eius Octauo. Præſentibus ibidem diſcretis uiris Domino Iacobo Apocello, & Attilio de Cathaneis Notariis publicis, & corã nobis ſcribis, Clericis Spireñ. & Aretiñ. Diœceſum teſtibus ad præmiſſa uocatis, habitis, atq; rogatis.

De indulgentia plenaria Cathedralis eccleſię publicãda. C. 25

QVia bonum tanto pulcrius, & laudabilius, q̃to cõius. Ideo ne Diœceſani Noſtri Theſauro per ſedem apoſtolicã noſtrę Cathedrali eccleſiæ perpetuis Duraturis tẽporibus Donato defraudentur, Volumus, q; omnes p̃sbiteri tam Curati, quã nõ curati Ciuitatis & Dioc. Noſtræ, Indulgentiæ noſtræ Cathedralis eccleſiæ Bullã, quã ad hunc finem hic ſubnectimus, uel eius Tenorem, per duas uices in die feſtiuo populo īfra miſſaꝝ ſolennia intimare debeant per. x. dies ante annuntiationem uirginis. & ſimiliter ante feſtũ Natiuitatis eiuſdem, in aliis aũt ſolennitatibus uirginis, per unam tantum uicem, primo die feſtiuo ante dictam ſolennitatem.

CLEMENS EPISCOPVS Seruus ſeruorũ Dei, Vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem & apoſtolicã benedictionẽ Saluatoris noſtri dñi Ieſu Chriſti Dei Patris unigeniti, qui de ſummis Cœlorum ad infima pro redemptione generis humani deſcẽdere dignatus eſt. Quiq; beato Petro Apoſtolorum principi ligãdi atq; ſoluendi Pontificium tradidit, uices licet īmeriti gerentes in terris, & ad ſingulas præſertim inſignes cathedrales eccleſias, quæ domus Dei ſunt in earum ſtructuris & edificiis & reparatione indigentum noſtre conſiderationis dirigentes intuitũ, circa illarum reparationem commiſſi nobis Paſtoralis officii & poteſtatis nobis credite autoritatem fauorabiliter impartimur, & ad hoc chriſti fideles indulgentiis uidelicet & remiſſionibus inuitamus, ut per eorum pia ſuffragia eccleſiæ ipſe reparari, & chriſti fideles præfati pro temporalibus bonis quæ erogarent felicitatis eterne premia cõſequi poſſint. Cũ itaq; ſicut accepimus eccleſia Veroñ. cui Venerabilis F. I. Matthæus Ep̃s Veroñ. Prælatus noſter domeſticus præeſſe dinoſcitur, in ſuis ſtructuris & edificiis non modica reparatiõe ac paramentis & ornamẽtis eccleſiaſticis diuino cultui neceſſariis indigere noſcatur, & ad illius reparationem & fulcimentum facultates fabricæ ipſius eccleſiæ minus ſuppetunt, ſed ſint chriſti fideliũ ſuffragia ad id plurimum opportuna, Nos cupientes ut eccleſia ipſa predicta que ſub inuocatione glorioſæ Dei genitricis uirginis Mariæ dicata exiſtit, in huiuſmodi ſtructuris & edificiis debite reparetur, & reparata manutenea-

tur, ac paramentis & ornamentis prædictis decenter fulciatur, & a chriſti fidelibus congruis frequentetur honoribus, ac in debita ueneratione habeatur, ipſiq; christi fideles eo libentius deuotionis cauſa ad eandem eccleſiam conferant, & inibi pro premiſſis eo promptius manus adiutrices porrigant, quo exinde pro animarum ſuarum ſalute maiora temporalia munera adipiſci poſſe cognouerint. de omnipotentis Dei miſericordia ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, Omnibus & ſingulis utriuſq; ſexus chriſti fidelibus uere penitentibus & confeſſis, qui eccleſiã predictã in Natiuitatis & Annũciationis eiuſdẽ glorioſæ uirginis Mariæ feſtiuitatibus a primis ueſpis, uſq; ad occaſũ Solis utriuſq; ipſarum feſtiuitatum incluſiue deuote uiſitauerint annuatim, & ad reparationem manutentionem & fulcimentum predicta, manus adiutrices porrexerint, pro qualibet feſtiuitatum earumdem quibus id fecerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem. Qui uero in Conceptionis, Præſentationis, Viſitationis, Purificationis, & Aſſumptionis eiuſdem glorioſæ uirginis Mariæ feſtiuitatibus, ſimiliter a primis ueſperis uſq; ad occaſum Solis cuiuſlibet earum incluſiue, eccleſiã, ipſam deuote uiſitauerint annuatim, ac pro premiſſis manus adiutrices porrexerint, pro ſingulis ultimo dictarum feſtiuitatum quibus id fecerint, omnes & ſingulas quæ Chriſti fidelibus eccleſias Alme Vrbis & extra muros eius, Quadrageſimalibus & aliis ſtationum illarum temporibus & diebus, perſonaliter uiſitantibus conceſſe ſunt, Indulgentias & peccatorum remiſſiones auctoritate apoſtolica tenore preſentium miſericorditer in Dño elargimur. Et ut Chriſti fidelium ad eandem eccleſiam pro huiuſmodi plenaria indulgentia conſequenda confluentium facilius ualeat animarum ſaluti prouideri, præfato Ioanni Mattheo Et pro tempore exiſtenti Epiſcopo Veroneñ, ſeu eius in ſpiritualibus Vicario generali, aliquos præsbiteros idoneos ſeculares, uel quorumuis & mendicantium ordinum regulares. Qui in natiuitatis & Annunciationis feſtiuitatibus predictis, ac etiam per biduũ ante illarum ſingulas chriſti fidelium pro eadem plenaria indulgentia conſequenda accedentium, confeſſiones audire, & illis diligẽter auditis, ipſos & eorum ſingulos ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, criminibus, & delictis in ſingulis caſibus etiam ſedi apoſtolicæ reſeruatis, exceptis contentis in litteris, in die cænæ Dñi legi conſuetis, abſoluere & eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem iniungere, Necnon uota quæcunq; per eos emiſſa, ultra marino, uiſitationis liminum ipſorum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli/ac ſancti Iacobi in Compoſtella, Necnon caſtitatis, & religionis uotis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera cõmutare poſſint, deputandi facultatem concedimus, preſentibus, quas ſub quibuſuis reuocationibus, ſuſpenſionibus & derogationibus plenariarum indulgentiarum, etiam in fauorem Cruciate & fabrice Baſilicæ principis Apoſtolorum de Vrbe, ſeu quarumcunq; eccleſiarum & piorũ



Digitized by Google

locorum,etiam durante anno Iubilei pro tempore occurrente, & alia quomodolibet per nos & ſedem prediɛtam etiam motu proprio & ex quibuſuis cauſis perpetuo uel ad tempus factis & faciendis pro tempore,nullatenus comprehenſas,ſed ſemper ab illis exceptas exiſtere.Et quotiens ille emanabunt,totiens in priſtinum ſtatum reſtituas,etiam de nouo conceſſas eſſe,ac chriſti fidelibus prefatis ſuffragari debere decernimus,perpetuis futuris temporibus ualituris.

Data Romæ apud ſanctum Petrum.Anno incarnationis Dñicæ M. D. XXVII. Sexto Kal.Aprilis & Pontifi.noſtri Anno Quarto.

Gratis de mandato S. D. N. Euangeliſta
M.de Braceis, Pro ꝯ^to. Io.Vorger.

¶Caueant omnes,ne quid erroris in Iubileis cõmittatur. C. 26.

NE in grauem Dei offenſam,& non modicũ animaꝝ periculũ,quæ pro dei placanda ira,eiuſcꝫ imploranda miſericordia & peccatorũ exoneratione cõſtituunt,reſultent,qđcꝫ euenire ſolet quũ remedia nõ ſolũ præter,ſed plerũcꝫ cõtra proponentis intentionem, nullo modo atcꝫ regula ſeruata adhibentur exẽplũ non deeſt cuiq̃ in his ſuperioribus Annis Iubileis datis in quibus licet q̃ maximas utilitates uniuerſus chriſtianus populus conſecutus ſit,& ideo ſperãdum multoties quocꝫ in futuꝝ ea concedenda,tñ experientia docti tali iubileorum tempore plures errores cõmiſſos reperimus,Hinc enim inſtar furentis in manu ſua ancipitẽ gladium habentis,occaſionẽ ſumentes imperiti homines, quid nõ attẽtarunt?ſuper prohibitis gradibus diſpenſando,proles legitimando, matrimonia ſeparando,a uotis ſimpliciter liberando, penitentiam nullam iniungendo/quoslibetetiam in peccato perſeuerantes abſoluendo,reſtitutioni obnoxios ad nullam reſtitutionem Cogẽdo, Iccirco ne poſthac errores præteritis ſimiles ex incuria proueniãt,his paucis omnes tam ſæculares,quã ſacerdotes & regulares Ciuitatis & dioceſis noſtræ ꝑ infraſcriptas concluſiones Admonendos duximus. Nihil unq̃,quod ad hãc rem pertinet in Ciuitate & Dioceſi noſtra nobis inconſultis publicãdũ. Bullam ſemper omni cum diligentia inſpiciendam,ſumacꝫ cum maturitate iuxta tritam & uulgatam illam regulam, huiuſmodi quantum ſonant tantantum ualere ponderanda:

Samctiſſimã ſanctiſſimi D.N. Voluntatẽ pie ac ſanctiſſime interpretandam,tamq̃ ſemper ad ędificãdã eccleſiam proſpiciẽtis,uimcꝫ uerborum illorum, quibus eligendi confeſſorem facultas præſtatur maiorem fortaſſe eſſe,q̃ nonnulli opinantur,nõ enim paſſim quibuſcuncꝫ,ut quidam iactant, ſed peritis tantum, & ſcientibus ligare & ſoluere, quæ omnia idoneorum nominatio idicat,tam immenſam facultatem largitã eſſe.

Qui amat periculum peribit in illo Reſecãdus ideo in primis peccan

Digitized by Google

di occaſiones, ſi enim qui adhuc fœminam, qua abuti ſolitus eſt, domi ſecum retinet, de facto abſolueretur, is profecto apud deum nõ debet ſe tutum exiſtimare. Satiſfactionem eo modo, quo melius & cautius fieri poſſit, perq̃ neceſſariam fore, quis enim ſani conſilii furem aut Homicidam nulla præuia ſatiſfactione abſoluat.

In peccatis perſeuerantes, aut de quibus recidiui periculum ueriſimiliter timetur, niſi ſuſpitioni uiolenteq; caute cõſultum fuerit abſoluendos non eſſe. Nolite ſanctum dare canibus, aut cum parte leſa pace ſeu recõciliatione non ſecuta, recte abſolutum aſſeueraret? Non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum.

Votorum non fieri omnimodam abſolutionem, ſed tantum in alia pietatis opera, tpis & pſonaꝝ q̃litate bene penſata, cõmutationem.

Aliud diſpenſationem, aliud a peccato abſolutionem eſſe, ut ſciat ſacerdos, ſi alia iubilea ſimilia proximis publicata fuerint, licet a peccatis quáuis enormibus abſoluere poſſit, non ideo tamen diſpenſandi poteſtatem ſibi datam norit ut in cauſis matrimonialibus ſe ingerere inter coniuges in gradu prohibito inter ſe cõiunctos aut in duplici matrimonio cum quo ſibi magis libuerit diſpẽſare prolem legitimam decernere, matrimoniorum diuortia celebrare ualeat.

Pænitentiam condignam imponẽdam eſſe, alias in alio ſæculo, quod a pęnitente in hoc deſideratur, præſtandam, & q̃ prudenter omnes illi ſibi cauerint, qui maluerint, maximam quamq; pænitentiam hic ſubire, q̃ aliam paruam in aliud ſæculum ſibi reſeruare, ſi pænitentiam non egerimus, incidemus in manus Dñi, & non in manus hominum ſecundum enim magnitudinem illius, ſic & miſericordia illius cum ipſo eſt.

Hęc pauca ex tot aliis pœne infinitis ex abundãtia cordis libauimus ut his inſpectis, quum opus fuerit, ea qua decet prudentia/maturitate/& religione per quemlibet res tanti ponderis tractetur & quoniá fere ſemper cum onere certos Hymnos pſalmos, letanias ac ſuffragia ſuis debitis diebus pſallendi, præfata iubilea publicata ſunt, ut is ritus etiam in anno/ſæpius in eccleſiis, Et in proceſſionibus frequentetur, formam hic imprimendam Curauimus.

## ORDO SERVANDVS IN PROCESSIONIBVS FACIENDIS.

IN primis Intonetur Hymnus. Veni Creator ſpiritus, & Hymnus. Chriſte ſanctorum decus angelorũ, prout in dedicatione ſancti Michaelis, & per Prelatum uel Priorem Eccleſiæ omnibus genuflexis inde per alios uſq; ad finẽ proſequatur, quibus finitis dicatur añ. Exaudiat nos dñs in die tribulationis. Deinde Pſal 19.

Digitized by Google

EXaudiat te dominus in die tribulationis. uel antiphona congregati ſunt inimici noſtri ut dimicent contra nos & ignoramus quid agere debeamus domine Deus ad te ſunt oculi noſtri ne peamus. Pſal. 45. Deus noſter refugium & Pſal. 78. Deus uenerunt gẽtes: uel añ. Da Pacem dñe &c. cum Pſalmo. 33. Benedicam dñm in omni tẽpore & finito quolibet pſalmo ſemp repetaẽ antiphona cuilibet pſalmo apposita. His finitis ante altare maius omnibus genuflexis incipiantur Letaniæ.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Chrẽ audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de celis deus mi.
Fili redemptor mundi deus mi.
Spiritus ſancte deus mi.
Sancta trinitas unus deus mi.
Sancta Maria ora pro nobis.
Sancta dei genitrix ora.
Sancta uirgo uirginum ora.
Sancte Michael ora.
Sancte Gabriel ora.
Sancte Raphael. ora.
Oẽs ſancti ãgeli & archãgeli orat.
Oẽs ſancti beatorum ſpirituũ ordines orate p nobis.
Sancte Ioãnes Baptiſta ora.
Omnes ſancti Patriarche & Prophete orate p nobis.
Sancte Petre ora.
Sancte Paule ora.
Sancte Andrea ora.
Sancte Ioannes ora.
Sancte Iacobe ora.
Sancte Thoma ora.
Sancte Luca ora.
Sancte Marce ora.
Oẽs ſancti Apoſtoli & Euãg. orat.
Oẽs ſancti diſcipuli dñi orat.
Oẽs ſancti Innocẽtes orat. orat.
Sancte Stephane ora.
Sancte Laurenti ora.
Sancte Vincenti ora.
Sancte Fabiane ora.
Sancte Sebaſtiane ora.
Oẽs ſancti martyres orate.
Sancte Silueſter ora.
Sancte Gregori ora.
Sancte Martine ora.
Sancte Auguſtine ora.
Sancte Ambroſi ora.
Sancte Hieronyme ora.
Oẽs ſancti Põtifi. & Cõfeſ. orate.
Oẽs ſancti Doctores orate.
Sancte Benedicte ora.
Sancte Franciſce ora.
Sancte Antoni ora.
Sancte Dominice ora. ora.
Oẽs ſcti Monachi & eremite orat.
Oẽs ſcti ſacerdotes & leuite. orat.
Sancta Maria Magdalena ora.
Sancta Agnes ora.
Sancta Agatha ora.
Sancta Monicha ora.
Sancta Clara. ora.
Oẽs ſctẽ uirgines & uidue orat.
Oẽs ſancti & ſancte dei intercedite pro nobis.
Propitius eſto. parce nobis domĩe.
Propitius eſto. exaudi nos dñe.
Ab omni malo. libe. nos dñe.
Ab omni peccato. lib. nos dñe.
A morte perpetua. lib. nos dñe.
Ab ira tua. lib.
Ab inſidiis diaboli. lib.
A ſubitanea & improuiſa morte libera nos domine.
Ab ira & odio & omni mala uolũ

tate. lib. nos dñe.
A fulgure & tempeſtate. lib.
A ſpũ fornicationis. lib.
Ab imminentibus flagellis & periculis. lib. nos dñe.
Ab infidelium & omni inimicorũ noſtrorum impetu. lib.
A fame bello & peſtilẽtia. lib.
Per myſterium ſancte incarnationis tue. lib.
Per Aduentum tuum. lib.
Per natiuitatẽ tuam. lib.
Per baptiſmum & ſanctum ieiunium tuum. lib.
Per crucem & paſſionẽ tuã. lib.
Per mortẽ & ſepulturã tuã. lib.
Per ſanctã reſurrectionẽ tuã. lib.
Per admirabilẽ aſcenſionẽ tuã. lib.
Per aduẽtum ſpũs ſci paracleti. lib.
Per interceſſ. geni. tue & omniũ electorum tuorum. lib.
In die iudicii. lib.
Peccatores te rog. audi nos.
Vt nobis parcas te rog.
Vt nobis indulgeas. te rog.
Vt ad ueram penitẽtiã nos perducere digneris. te rog.
Vt eccleſiam tuam ſanctam regere & conſeruare digneris. te rog.
Vt dõnum apoſtolicum & omnes eccliaſticos ordines ĩ ſancta religione cõſeruare digneris. te rog.
Vt regibus & principibus chriſtianis pacẽ & uerã concordiam donare digneris. te rog.
Vt omnes fideles tuos in pace ppetua firmare & cuſtodire digneris. te rog.
Vt eoſdem in obſeruatione mandatorum tuorum dirigere digneris. te rog.
Vt nos pro unione perpetua & uera concordia ſupplicantes exaudire digneris. te rog.
Vt nos metipſos in tuo ſancto ſeruitio cõfortare & conſeruare digneris. te rog.
Vt eccleſie tue ſancte fidem augere & tranquillam pacem concedere digneris. te rog.
Vt omnes eccleſiæ tuæ hoſtes cõprimere digneris. te rog.
Vt chriſtianos tuos ubiq; protegere, & ſuper infideles exaltare digneris. te rog.
Vt infideles omnes illuminare, & ad ſanctam fidem tuam conuertere digneris. te rog.
Vt cuncto populo Chriſtiano precioſiſſimo ſanguine tuo redempto ueram concordiam, & contra infideles, & tui nominis inimicos uictoriam largiri digneris. te rog.
Vt omnes hæreticos ab erroribus ſuis & omni cecitate reuocare & ad unitatem fidei reducere digneris. te rog.
Vt ſummum Pontificem noſtrum cum commiſſo ſibi grege ſalues ſemper & munias. te rog.
Vt mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas. te rog.
Vt omnibus benefactoribus nr̃is ſẽpiterna bona retribuas. te ro.
Vt animas noſtras fratrũ propinquorum et benefactorũ noſtrorum ab æterna damnatione eripias. te rog.
Vt fructus terre dare et conſeruare digneris. te rog.
Vt omnibus fidelibus defunctis requiem eternam donare digneris
Vt nos exaudire digneris. te rog.

Digitized by Google

Fili dei. te rog.
Agnus dei qui tollis peccata mundi. parce no. dñe
Agnus dei qui tollis peccata mundi. exau. no. dñe.
Agnus dei qui tollis peccata mundi. miſerere nobis.
Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon Kyrie eleiſon. Quibus finitis.
Pontifex ſiue Prior dicat Pater noſter etc. deinde. Ver. Et ne nos in ducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
Ver. Chriſtus uincit, Chrs regnat, Chriſtus imperat.
℟. In eternum et in ſeculum ſeculi.
Ver. Exurge Chrẽ adiuua nos.
℟. Et libera nos ꝓpter nomẽ tuũ.
Ver. Exaudi dñe ſupplicũ preces.
℟. Et ꝯfitentiũ tibi parce peccatis.
Ver. Auerte a nobis indignationẽ tuam.
℟. Et ꝓcul ſit a nobis furor tuus.
Ver. Hoſtiũ noĩs tui elide ſupbiã.
℟. Et eorum proteruiã dextere tue potentia proſterne.
Ver. Diſperde illos in uirtute tua.
℟. Et depone eos ꝓtector nr̃ dñe.
Ver. Fiãt tãq̃ puluis ante faciẽ uẽti
℟. Et angelus tuus perſequat̃ eos.
Ver. Irruat ſup eos formido & pauor.
℟. In magnitudine brachii tui.
Ver. Fiat miſericordia tua domine ſuper nos.
℟. Quẽadmodũ ſperauimus in te.
Ver. Fiat pax in uirtute tua.
℟. Et abundantia in turribus tuis.
Ver. Perpetua nos domine pace cuſtodi.
℟. Quos per lignum ſancte crucis redimere dignatus es.
Ver. Concede domine principibus Chriſtianis.
℟. Vt ſit eis anima una, et cor unũ.
Ver. Mitte nobis domine auxiliũ de ſancto.
℟. Et de ſyon tuere nos.
Ver. Non nobis domine nõ nobis.
℟. Sed nomini tuo da gloriam.
Ver. Dñe exaudi orationẽ meam.
℟. Et clamor meus ad te ueniat.
Ver. Dominus uobiſcum.
℟. Et cũ ſpũ tuo. Oremus. Oro.

Deus a quo ſancta deſideria. etc.

Deus qui cõtritorũ nõ deſpicis. etc.

Omnipotens ſempiterne deus, qui pcioſiſſimo ſanguine dilectiſſimi filii tui humanum genus redimere, ac per beatos apoſtolos eius iacentem in tenebris mũdum ad euãgelii lucem erigere dignatus es, tribue q̃ſumus, ut aduerſus impias Infidelium gẽtes cũctaſq; Barbaras nationes uiuifice crucis inimicas, fideles Chriſtianorum Principes et populi ita potẽter arma ſũſcipiant, ut pro tui nominis gloria militãtes, uirtutis tue brachio ſubleuati, ad eccleſiam tuã uictricia ſigna reportent. Per eundem Chriſtũ dominum noſtrum. Amen.

His finitis incipiat̃ miſſa de ſpũritu ſancto cum orationibus, uide licet prima de ſpiritu ſancto, ſecunda Eccleſie tue &c. Tertia Omps ſempiterne deus i cuius manu. &c.

Digitized by Google

Quod nullus inferior poſſit ſe intromittere in publicis euormibus ſcandoloſis peccatis. C. 27.

VBi periculum maius imminet, ibi proculdubio plenius eſt conſulẽdũ, Attendentes itaq; q̃ manifeſta peccata non ſunt occulta correctione punienda, & q̃ malum unde oritur, ibi puniri debet, omnibus curam animarum exercentibus, ſeu confeſſiones audientibus, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio uel beneficio, diſtrictius inhibemus, ne quempiam ſuper enormi publico peccato abſoluere audeant. Volentes huiuſmodi enormes publicos ſcãdaloſos peccatores, poſtq̃ caſum publicum intellexerint, ad Nos, uel Vicarium Noſtrum abſoluendos, & puniendos remittant, decernẽ. abſolutionem per Curatos, & antedictos confeſſores ſuper publicis enormibus ſcandoloſis criminibus de cætero faciendam nullius fore roboris, & momenti.

Ne queſtuãtes recipiantur cum copiis ſuarum facultatum, niſi approbatis a Dño. Epiſcopo. C. 28.

NOnnulli a Sede Apoſtolica indulgentias impetrãt, uel a Sede Apoſtolica impetratas emunt, ut quaſi comercii genere pecunias exquirãt ſub pretextu redemptiõis captiuorum uel q̃ ex infidelibus ſacro Babtiſmatis fonte renati ſint, uel q̃ impiorum infidelium manus euaſerint, uel alio quocunq; colore, alii gratiæ ſuæ tenorem materno ſermone imprimi facieñ. plus in impreſſo habent, quam ſit in originali, Vt populos decipiant. Alii etiam quandoq; tum abſoluendi, tum diſpenſandi miniſterium nullatenus eis conceſſum uſurpant. Ne iſta ulterius fiant. Mandamus omnibus eccleſiarum Rectoribus, & locumtenentibus eorundem, ut huiuſmodi copias nullatenus acceptent, ſeu publicent, niſi a Cancellario Noſtro ſubſcriptæ, & ſigillo Noſtro, aut Vicarii Noſtri ſignatæ fuerint, ét ſi alias a Nobis generaliter q̃rendi licentiã habuiſſent.

Quod nullus permittat ſe ab ipſis quæſtuãtibus abſolui, & ne ipſi quæſtuent ſine licentia. D. Epiſcopi. C. 29.

SIne licentia non admittantur etiam religioſi, & religioſæ, cuiuſcunque ordinis, uel illi qui ſub titulo ſancti Spiritus, ſancti Bellini, ſancti Antonii, ſancti Rocchi, ſancti Bernardi nominari ſe faciunt, mentiẽtes ſe quandoq; clericos, cum non ſint admoneant inſuper eccleſiarum Rectores parochianos ſuos, q̃ non faciant ſe a talibus abſolui, quia pro abſolutis non habebuntur, quum abſolui minime potuerint a talibus circulatoribus, qui ſub modis iſtis rudes homines decipientes, ſtudét ab eis pecuniam recipere ipſis perſuadeñ, q̃ ſunt ſacerdotes, quod ut facilius



Digitized by Google

perſuadeant, in habitu ſacerdotali incedunt, & breuiarium in manibus geſtant, & ꝙ poſſunt uota commutare, diſpenſationes facere, abſoluere a caſibus reſeruatis. Qui omnes quæſtores pluſquam ſibi liceat, ſibi uendicantes, ſi capi poterunt tanquam falſarii Apoſtolicarum litterarum ꝑ officium Noſtrum mulctabuntur. Nemo igitur ſine licentia Noſtra, uel dicti Noſtri Vicarii in Dioceſis Noſtra quæſtuare præſumat, ſub pœna amiſſionis eiuſdem, quod quæſtuaſſent, & animalium omnium & rerum, cum quibus quæſtuarent.

¶ Quomodo hi quæſtores ſint a ſacerdotibus commendandi, & ꝙ attendantur datæ licentiarum. C. 30.

QVum autem cõtigerit Nos, aut Vicariũ noſtrum aliquibus quæſtoribus propter pia opera per Dioc. noſtram elemoſinas colligendi dediſſe facultatem, hocq; per litteras ſigillo noſtro munitas, & nõ aliter conſtiterit, ipſimet eccleſiarum rectores, & non alii, ea ſolum, quæ in litteris ſigillo noſtro ſignatis uiderint contineri ſuis ſubditis exponant, nec aliquem quæſtorem permittãt prædicare, ſed ſolum eis liceat elemoſinas petere amore Dei, & ſancti illius, cuius gratia ſibi data fuerit, per Ciuitatem, & Dioc. quæſtuandi licentia. In omnibus autem litterarum noſtrarum datam ſacerdotes attendant, ne ultra datæ tempus aliquid recolligant.

¶ Vt ipſorũ q̃ſtorũ exceſſus denũtientur officio D. Epi. C. 31.

SI autem contra uoluntatem Curatorum ipſi quæſtores prædicare, aut miracula, perterrendo homines, enarrare, aut reliquias oſtendere, uel quæſtum quocunq; modo facere uoluerint, Nobis ſeu officiariis noſtris ipſi rectores denuntiare feſtinent, aut inuocato brachio ſæculari capiantur, ſecluſa tamen ſanguinis effuſione, & enormi leſione, & ad Nos adducantur curent.

## DE SPONSALIBVS ET MATRIMONIIS TITVLO SEPTIMO.

¶ De forma ſeruanda in cõtractibus ſponſalium, & matrimonii, & q̃ deteſtanda ſint Clandeſtina Matrimonia. C. I.

NE quod ſæpiſſime accidere graui cum moleſtia uidimus, ut unde amicitia, & affinitas quæritur, odia & cõtentiones oriantur. Hac præſenti conſtitutione paterna charitate omnibus & ſingulis ſubditis noſtris cõſulimus, eoſq; etiam Monemus, ne deinceps quiſq̃ præſumat ſpõſalia per uerba de futuro, uel de præſenti, ac etiam ſub annuli ſubar-

Digitized by Google

ratione Matrimonium contrahere,niſi in eccleſiis,uel locis publicis,aut domibus parẽtum,& cum præſentia ſacerdotis proprii,& patris,& matris contrahentium, ſi habuerint, aut ſi non habuerint,cum præſentia proximiorum propinquorum utriusq; partis,ſi adeſſe uoluerint,& aliorum teſtium fidedignorum,qui de utriusq; partis conſenſu,clare teſtificari ubiq; poſſint,& ualeant, Admoneant inſuper ſacerdotes in eccleſiis puellas,q̃ grauiter peccent clandeſtine contrahendo,& quot homicidia, quot rixas,& quot ſcandala clandeſtina Matrimonia ſecum afferant,& q; non credant uiris ſibi clandeſtine pollicẽtibus,cum illi ſubtracto uirginitatis ſpolio negare ſoleant,ſe quicq̃ promiſiſſe, in graue damnum, & detrimentum dictarum infœlicium & miſerarũ puellarum,quæ fuerunt credulæ,unde poſtea mendicare coguntur,& omnibus contemptibiles haberi,& q; nolint tanti emere unum pœnitere.

¶ Quod ſponſi non frequentent domos ſponſarum ante ſubarrationem. C. 2.

ET quoniam nonnulli ſponſi animarum ſuarum ſalutis immemores facti,poſtq̃ per multum temporis poſt ſponſalia de futuro contracta ſimul fuerint conuerſati,ſolutionem quærunt multis occaſionibus,nõnunq̃ etiam ſecuta copula carnali. Inhibemus,ne ſecrete,aut aliter quam prædictum eſt, contrahentes debeant adinuicem conuerſari, aut commiſceri,ſed neq; domos alterius partis,quaſi ſponſi, uel ſponſæ frequentare omnino,neq; ſponſi,neq; ſponſæ appellari,donec talia ſponſalia publice,ſicut præfertur,fuerint cõfirmata,quam confirmationem, quo citius commode poterit fieri uolumus.

¶ De denuntiandis clandeſtinis matrimoniis. C. 3.

QVod ſi qui in prædictis ſecus facere præſumpſerint, Præcipimus in uirtute ſanctæ obedientiæ uniuerſis eccleſiarum Rectoribus, quod poſtq̃ ipſis conſtiterit pro certo,uel probabili fama,aliquos in parochia ſua clandeſtine ꝯtraxiſſe,ipſos ſtatim ad publicãdũ in faciẽ eccleſiæ,aut iura ſua proſequeñ.corã eccleſiaſtico iudice per ſubtractionẽ ſacramẽtorũ,extra tamẽ neceſſitatis articulũ cogere nõ poſtponãt.

¶ Quod ſponſalia ſine licentia nõ diſſoluantur. C. 4.

ITem ordinamus,q; ſponſalibus per uerba de futuro præſertim cum iuramento contractis,nullus audeat ſuam ſponſam in uit[illegible]m relinquere,& cum altera contrahere,niſi in primis dictorum ſponſalium diſſolutio petita fuerit a Nobis,aut Vicario noſtro, quam ſi rationabilem



Digitized by Google

inuenerimus ſubeſſe cauſam,non denegabimus.

## Quod nullus ſe ingerat in cauſis Matrimonialibus. C. 5.

ITem inhibemus,& ſub pœna excõmunicationis interdicimus omnibus Chriſti fidelibus Clericis,& laicis per Dioc.noſtram ubilibet conſtitutis, ut nullus ipſorum contra ſacrorum canonũ diſpoſitionem de cauſis Matrimonialibus cognoſcere,concordare, ſeu diffinire qualitercunq; præſumat, abſq; Noſtra, aut Vicarii noſtri licentia, & mandato ſpeciali.

## De Bãno ſup matrimoniis ↄtrahẽdis in eccleſiis faciẽdo. C. 6.

QVia ſæpe accidit,in dioc. noſtra Veroneñ. ꝙ ex rudium perſonarum,ignorantia nonnulli adinuicem coniungũtur,inter quos aliquo perpetuo exiſtente impedimento nullũ Matrimonium cõſiſtere poteſt,ſed adulterium,uel inceſtus,Statuimus,& ordinamus,ꝙ poſtq̃ in dicta Dioc.ſunt cõtracta ſponſalia,ſeu promiſſiones factæ, ſeu etiam contractũ per uerba de præſenti Matrimonium,ſi ab ipſo icœptum fuerit, anteq̃ nuptiæ fiant,& Matrimonium conſumetur,in una dominica talia ſponſalia publicentur,in ipſorum ſponſorum Parochialibus eccleſiis infra Miſſarum ſolennia,uel inter Veſperas,quando maior populi multitudo aderit,per Plebanos,aut eorum Vicarios, qui admoneãt omnes & ſingulos ſcientes aliquam conſanguinitatem,uel affinitatem, aut aliquod impedimentum publicæ honeſtatis, aut cognationis ſpiritualis, ſeu legalis eſſe inter eos,propalent,& manifeſtent,intra terminum octo dierum quæ quidem denuntiatio ſub hac uerborũ forma fieri poterit, qualiter.N.filius talis,&.N.filia talis,ſponſalia per uerba de futuro inuicem inter ſe contraxerunt, & intendunt tranſire ad Matrimonium per uerba de præſenti,Vnde rogant omnes,& ſingulos ſcientes aliquod impedimentum inter eos exiſtente, propter quod inter ipſos Matrimoniũ ſubeſſe non poſſit,illud uelint propalare,ut inceſtus, & alia peccata uitentur,aſſignando terminum octo dierum.

## Quid habeãt facere ſacerdotes detecto impedimẽto. C. 7.

FActa autem tali denuntiatione,& etiam ante,ſi infra terminum denuntiationis & banni prædicti,aliquod impedimentum appareret, tunc ſacerdos eos admoneat,ut infra octo dierum terminum,uel de cõmuni conſenſu cum dictorum ſacerdotum litteris Nos de facto certiorantibus compareant coram Nobis,ſeu Vicario noſtro ad illorum diſſolutionem,& ſi etiam ad contractum Matrimonii per uerba de præſenti proceſſum fuerit,conueniens remedium, & prouiſionem deſuper op-

Digitized by Google

portunam petendum, Quo termino elapſo, & ipſis nõ parẽtibus, teneatur ipſe ſacerdos dicta ſponſalia, uel matrimonium, prout contingit eſſe incontinenti officio noſtro denuntiare, ut contra tales prout iuris fuerit procedi poſſit.

¶ Quod Notarii non rogitent Inſtrumenta Matrimonii, niſi precedente publicatione, & banno. C. 8

OMnibus & ſingulis Notariis Ciuitatis & Dioce. Noſtræ, ad euitãdos errores Præcipimus, & mandamus, nõ debeant, aut preſumãt rogare ſponſalia de preſenti, aut ſubarrationem annuli, aut inſtrumentum dotale, niſi prius facta, ut præfertur, prædicta publicatione in Eccleſia per Parochianum.

¶ De faciendo quolibet anno unum bannum generale. C. 9

AD euitandos errores, qui plerunque uerisimili ignorantia contrahẽtium ſponſalia exoriuntur, & ad maiorem cautelam, Mandamus, ut in omnibus eccleſiis Nobis ſubditis, per illarum Rectores publicæ & generales fiant admonitiones ſingulis annis, ut ſcientes impedimẽta aliqua ſuper Matrimoniis ſine preſcriptis ſolemnitatibus contractis, uel contrahendis maniſeſtare teneantur ſub pœna excõicationis.

¶ Declaratio impedimentorũ pro inſtructione Sacerdotum. C. 10

NE autem impedimenta matrimoniorum à quoquam ignorari probabiliter poſſint, pro ſacerdotum inſtructione ea hic ſummatim deſcribi fecimus, ſunt autem huiuſmodi impedimentum conſanguinitatis prouenians inter eos, qui ex eodem ſanguine deſcendunt, ſiue per maſculinam, ſiue per fæmineam lineam, qui uſque in quartum gradum incluſiue matrimonium inuicem contrahere non poſſunt, graduum autem computatio fiet accipiendo primum ſtipitem, ideſt illum uirum, ſeu illã mulierem, a quo, uel qua ipſorum contrahere uolentium conſanguinitas initium habuit, & gradatim numerando perſonas, a quibus deſcenderint, tam ſponſus, quam ſponſa cõtrahere uolentes, ita, ut quotus erit numerus illorum remotior a ſtipite, tali gradu conſanguinitatis inter ſe coniuncti eſſe dicantur, exempli gratia, Frãciſcus genuit Antonium, & Mariã, ex Antonio natus fuit Iulius, ex Iulio Gregorius, ex Gregorio Heliſabeth, Item ex Maria genita fuit Agnes, ex Agnete Blaſius, ex Blaſio Theodorus, qui cõtrahere uellet matrimonium cum Heliſabeth, niſi obſtet impedimentum, Accepto igitur ſtipite, ideſt Franciſco, numera perſonas ab illo deſcendentes, uſque ad contrahere uolentes, ipſo uidelicet ſtipite omiſſo, qui nõ computatur, & inuenies per lineam Antonii uſque ad

Digitized by Google

Heliſabeth eſſe gradus quatuor, ideſt Antonium, Iulium, Gregorium, & ipſam Heliſabeth, & ſimiliter faciendo per alteram lineam, ex Maria ad Theodorum, inuenies gradus totidem, qua propter dicẽdum erit Theodorum non poſſe contrahere cum Heliſabeth, quia quarto conſanguinitatis gradu coniuncti ſunt, ſed bene poſſet Theodorus contrahere cũ filia Heliſabeth uel, e, contra, Heliſabeth cum filio Theodori, quia illa ꝑſona addita faceret quintum gradum, Attenditur enim ſemper, ut prædictum eſt, remotior gradus, poſſet ergo exempli gratia, filia Heliſabeth contrahere cum Theodoro, & omnibus ſuis aſcendentibus uſqꝫ ad Frãciſcum ſtipitem excluſiue, Dicitur autem excluſiue quo ad ſtipitẽ, quia predicta procedunt inter collaterales, qui poſt quartum gradum cõtrahere poſſunt, ſed inter aſcendentes, & deſcendentes prohibitio cenſetur eſſe perpetua ininfinitum, Adeo, ꝙ ſicuti dicunt Doctores, ſi hodie uiueret Adam, non poſſet uxorem accipere præter Euam, cum aliæ omnes mulieres ſint ab ipſo deſcendentes. Impedimentum affinitatis prouenit ex ꝯiunctiõe maris & fœminæ, ſiue illi matrimonialiter, ſiue alı̃s ex illicito coitu copulentur, procedit autem hoc impedimentum, non inter ipſos ſic coeuntes, ſed ſolummodo inter conſanguineos perſonarum ſic copulatarum, & ipſos copulatos, adeo quod ſi Titius & Berta ſimul cõmiſcerentur, nullus Titii conſanguineus uſqꝫ in quartum gradum poſſet Bertam in uxorem accipere, & pariter econuerſo. Nulla Bertæ conſanguinea uſqꝫ in eundem quartum gradum poſſet accipere Titium in uirum, attamen, quia hoc impedimẽtum, ſicuti dictum eſt, oritur ſolummodo inter perſonas copulatas, & ipſorum inuicem conſanguineos, bene poſſet Germanus frater Bertæ contrahere cum ſorore Titii, & econuerſo, impedimentum publicæ honeſtatis eſt quoddam impedimentum canonicum, quod oritur, ubi quis per uerba de præſenti, ſiue de futuro ſpopõderit alicui Mulieri, ꝙ eam acciperet in uxorem, & poſtea non ſequatur effectus conſumationis matrimonii, ſiue quia alter ipſorum deſponſatorum mortuus eſt, aut quia ſponſalia inter eos cõmuni cõſenſu ſunt diſſoluta, aut ingreſſi ſunt religionem, aut quia Canonicum aliquod eis obſtabat impedimentum, quominus matrimonium conſumare poſſent, efficitqꝫ hoc impedimentum ut nullus ipſorum ſpõſorum reſpectiue cõſanguineus uſqꝫ in quartum gradum, contrahere poſſit matrimonium cum ſponſo uel ſponſa prædictis, etiam ſi eadem ſponſalia inualida fuiſſent, ut ſuper inualiditate, & nullitate illorum Iudicialis ſententia prolata fuiſſet, impedimentum cognationis ſpiritualis eſt, quod ꝓuenit ex cauſa Baptiſmatis, & Chriſmatis. Oritur autem hoc impedimentum inter eum qui baptizatur, & eum, qui ipſum de ſacro fonte leuat, ipſiuſqꝫ leuãtis uxorem antea cognitam carnaliter, & filios, ſiue legitimos & naturales, ſiue naturales tantum, & item inter baptizati patrem, & matrem, ac ipſum leuantem, Adeo ꝙ puer baptizatus non poterit contrahere matri

Digitized by Google

monium cum aliqua ex filiabus leuantis, neq; cum illius uxore remanente uidua, & idem, econuerſo, ſi ſit puella baptizata, & leuans non poterit contrahere cum baptizato, neq; cum eius patre, uel matre, ipſeq; pater, ſeu mater baptizati non poterit contrahere cum coniuge leuantis poſtea mortui, eademq; impedimenta eſſent conſideranda circa perſonam baptizantis, ſi caſus contingeret, ꝙ ille al's uxorem ducere poſſet, ex quibus infertur, quod inter filios leuantis, & fratres, ſeu ſorores baptizati non oritur impedimentum, & prædicta itidem per omnia intelligenda ſunt in caſu Chriſmatis, impeditur etiam cõtractus matrimonii per cognationem legalem, quæ oritur ex adoptione, ſi quidem non poſſet quis contrahere cum ea, quam ſibi adoptauiſſet in filiam, neq; eiuſdem adoptantis alii filii uel filiæ cum adoptato, uel adoptata, adoptione duráte.

## ¶ Pœna contrahentium in gradu prohibito, & quod inducantur cõmunia ad ſtatueñ. cõtra tales. C. II.

VOlentes animarum periculis obuiare, Prohibemus ne de cætero in aliquo conſanguinitatis ſeu affinitatis gradu aut cognatione ſpirituali, ſcienter aliqui audeant matrimonialiter copulari, & quicunq; taliter, & ſcienter copulati fuerint, aut etiá ignoráter, & clandeſtine, poſtꝗ ſciuerint ſe tam nequiter inter ſe abſq; ſufficienti diſpenſatione contraxiſſe, debeant, poſtꝗ a proprio parochiano moniti fuerint, in termino nouem dierum ſe abinuicem totaliter, & effectualiter ſeparare, alioquin elapſis diebus prædictis omnes ſic inceſtuoſe coniuncti qui a iure cõmuni excõicati non fuerint, in excõicationis ſententiam incidant ipſo facto. Et ſacerdotes monitiõem, prædictam facere nullatenus differant, procurentq; omnino, ut homines, & conſiliarii locorum imponant etiam pecuniarias pœnas contra tales in gradu prohibito ſcienter uel etiá ignoranter, dummodo clandeſtine contrahentes.

## ¶ Ne uxores ducantur tẽpore ab eccleſia interdicto. C. 12.

STatuimus, ꝙ rectores parochiarum parochianos ſuos publice debeant admonere, ne uxores ducant tempore ab eccleſia interdicto, uidelicet a prima dominica aduẽtus domini noſtri uſq; ad epiphaniam ſolum, iuxta huius patriæ conſuetudinẽ, & a ſeptuageſima uſq; ad octauam paſchæ, & a dominica ante rogationes uſq; ad primam dominicã poſt penthecoſten, quoniam mortaliter peccant, & ſunt grauiter puniendi. Qui autem matrimonia tempore interdicto, & ab eccleſia prohibito, in faciem eccleſiæ ſolennizauerint, aut ſolennizari permiſerit toties, quoties contrafactum fuerit, condemnabuntur.

Digitized by Google

## De obſeruandis in benedictione ſponſarum. C. 13.

VNiuerſis,& ſingulis Archipresbiteris,Plebanis, Viceplebanis, Capellanis,Curatis,Ciui.& Dioc.Noſtræ Veroń. Mãdamus,& pręcipimus ꝙ nõ audeant,neq; præſumant publicæ,uel occultæ, directe,uel indirecte,aut quouis alio quæſito colore per ſe uel alium,ſeu alios ſponſas benedicere,niſi interfuerint etiam ſponſi,& quod benedictiones,quæ occurrerit faciendæ,fiant de mane in Eccleſiis,& non domibus prophanis,cum miſſæ celebratione,& ſolemnitatibus, quæ requiruntur, poſt ortum Solem,& illuceſcentem diem,ne occaſio detur contemnẽdi tam excellens ſacramentum,& laſciuias,ac ſpurcitias quaſdam cõmittendi, Et ideo prohibeatur,ne fiant riſus,cachinationes,aut alia ridicula uerba enuncientur,quinimo admoneant,quatenus contriti,& confeſſi ad hoc ſacramentum cum multa reuerentia accedant,& ꝙ nullus ſit tam audax,& temerarius,quod ſub quouis prætextu præſumat benedicere ſponſam quæ non ſit de ſua parochia,& benedictiones fiant tranſactis feriis,ut dictum eſt proxime,& ſecundum conſuetudinem hactenus obſeruatam cum miſſæ tamen ſemper celebratione, quæ forſan celebrari ſolita non erat.

## DE REBVS AD VNAMQVAMQVE Eccleſiam pertineñ. conſeruandis,& de illis non alienañ. Titulo. VIII.

## Vt de bonis Eccleſiarum fiant inuentaria C. I.

NE Eccleſiarum bona,tam mobilia, quam immobilia ex eorum, qui ꝑſunt,negligentia,uel & ignorantia depereãt,Præcipimus omnibus & ſingulis Eccleſiarum,Monaſteriorum,& aliorum quorũcunq; piorum locorum Rectoribus, Adminiſtratoribus,ut firmis,& ratis manentibus,& hic pro repetitis habitis pœnis,& Cenſuris alias editis,& ꝓmulgatis tam per ſe.re.Paul.ii.quam aliorum Romanorum Pontificũ conſtitutiones,& ſacrorum Canonum diſpoſitionem,contra alienãtes inconſulta ſede Apoſtolica immobilia Eccleſiarum,& ſacrorum locorum bona,qui nũc ſunt infra tres menſes a die publicatiõis præſentium conſtitutionum,qui uero erunt in futurum,infra triginta dies a die ſuſcepti per eos talis regiminis aſſumptis ſecum duobus antiquioribus de populo,in quo ſita eſt dicta Eccleſia,uel locus pius,una cum rectore,ſeu ſindico populi prædicti faciant inuentarium de omnibus bonis,mobilibus,& immobilibus Eccleſiarum,& locorum prædictorum,adnotando in uno,uel pluribus foliis omnia uaſa ſacra,Veſtes,Supellectilia,fundos agros,Domos cum qualitatibus, & confinibus ſuis ſcribendo per ſe,uel per alium,cum ſubſcriptione aſſumptorum prædictorum, ſi ſciãt

ſcribere

Digitized by Google

ſcribere, alias cum ſubſcriptione Notarii qui de eorum præſentia ac diligentia fidem faciat. Quo Inuentario facto illiuſq; apud ſe uno exemplari autentico, Altero uero in manibus ſindici, ſeu Conſiliariorum relicto, infra quindecim dies præſentare teneantur tertium officio Noſtro, Quod transcribi uolumus in uno libro ſpecialiter ad hunc uſum deſtinato in Cancellaria Noſtra ad perpetuam rei memoriam.

¶ Quod nouiter prouiſi de beneficiis pſentent etiam inuentaria. C.2.

IDemq; precipimus omnibus illis, qui in futurum Eccleſias, aut loca pmiſſa receperint, ut & ipſi Inuentaria huiuſmodi conficiát, eaq; officio Noſtro præſentent, priuſq̃ dictorum locorum, & Eccleſiarum bona, & fructibus adminiſtrare incipiát, declarádo eoſdé nouiter prouiſos de dictis beneficiis, Eccleſiis, aut locis, eo ipſo priuatos eſſe omnibus fructibus, & redditibus, ante confectionem prædicti Inuétarii perceptis fabricæ Noſtræ Eccleſiæ Cathedralis applicandis.

¶ Quod Capellanis & aliis quibuſcunq; Paramenta, & Calices conſignentur. C. 3.

STatuimus etiam, ut Capellani, & Sacriſtæ, & alii tam Clerici q̃ Laici, quibus rerum ſacrarum, ſeu aliarum ad uſum Eccleſiarũ, ſeu Altarium pro diuino cultu ſpectantiũ cuſtodia, & cura demandatur, debeant, & teneantur res, & bona omnia prædicta ſub inuentario a Sindicis, & Maſſariis Plebium, & Eccleſiarũ Rectoribus ſuſcipere, ut ſi quid poſtea amiſſum fuerit qui talem conſignationem habuerũt, ad omniũ damnorum & emendarum refectionem teneantur. Et inſuper, ſi talem adminiſtrationem ſuſcipientes non ſunt ſoluendo, quia pauperes, aut ſi alienigenæ, priuſq̃ ad id officium admittantur, uel quod eis cõſignetur, etiam de indemnitate Eccleſiarum, & Altarium prædictorum idoneã præſtare debeant cautioné pro huiuſmodi ſua adminiſtratione, qui omnes etiam annuatim cum ſuis inuentariis teneantur de præmiſſis omnibus rationem reddere ſuarum Eccleſiarũ Rectoribus, uel aliis, ad quos ſpectauerit. Qui autem præmiſſa non ſeruauerint, & ſi quid amiſſum fuerit, reſtituere, & etiam alias poenas pro inobedientiæ reatu ſuſtinere teneantur.

¶ Quod in qualibet Parochia ſit unus liber in quo deſcribãtur Parochiani. C.4.

DEbeat etiam in qualibet Parochiali Eccleſia per illum, ad quem eius cura ſpectat, teneri unus liber particularis, & in eo deſcribantur, & deſcripta teneãtur nomina, & cognomina omniũ, & ſingulorum ipſius Parochianorũ, quum non minus expediat naſa ... uentium, q̃ me

tallorum cuſtodire,& dñs dixerit, Agnoſce uultum pecoris tui, ex quo facilius erit ipſius curæ exercitium in multis caſibus, in quibus numerũ nomina que & cognomina Parochianorum ſcire expedit, prout ex ſupra ſcriptis, & ſequentibus conſtitutionibus liquere poterit.

¶ De non pignorando bona Eccleſiaſtica. C. 5.

NVllus, qualis, qualis ſit, Calices ſeu Iocalia, aut quæcũque ornaméta Eccleſiaſtica, Cruces, Veſtes, & id genus alia non ſolum hebræis, ſed neque etiam chriſtianis, pro quacunque neceſſitate ſine noſtra licẽtia pignorare audeat, uel præſumat, ſub pœna lib. uigintiquinque ueroneñ. irremiſſibiliter auferendarum.

¶ Contra occupatores Chriſtianorum, & aliorum Eccleſiaſticorum bonorum. C. 6.

SI quis Laicus, aut Clericus occupat, ſeu detinet bona, agros, poſſeſſiones, iura, inſtrumenta, ſcripturas, aut quecunque alia, ad quaſcunque Ciuitatis & Diocesis Noſtræ Eccleſias dignitates, Altaria, Monaſteria, & pia loca, quomodolibet ſpectantia, & pertinentia, debeant infra unius menſis ſpacium a die publicationis harum conſtitutionum illa & illas, cui, uel quibus debentur, & ad quem, uel quos ſpectant, notificauiſſe, cõſignauiſſe, reſtituiſſe, & dimiſiſſe, Alioquin dicto menſe præterito nunc detinentes, & ſi quos etiam in futurum occupare, & detinere continget, ſi Clerici beneficiorum priuationem incurrant, ſi uero Laici extiterint, ultra excõicationis pœnã, quã omnes incurrere uolumus ipſo facto præterea priuilegiis omnibus Eccleſiaſticis, feudiſque, & emphiteoſibus, ac iuribus ab Eccleſia quomodocunque obtentis priuati ſint, & intelligantur, ſcientes quoque tales detentores, & occupatores, niſi infra prefatum tempus illos maniſeſtauerint, excõis ſententiæ ſubiaceant.

¶ De inueſtigandis huiuſmodi occupatoribus, & miſerabilium perſonarum oppreſſoribus. C. 7.

STatuimus & ordinamus, quod omnes Clerici, & maxime beneficiati inuigilent, atque ſtudeant perquirere, ſi qui ſunt detentores bonorũ Eccleſiaſticorum, aut decimarum, ſeu oppreſſores Eccleſiaſticæ libertatis, piorum locorum, uiduarum, pupillorum, & aliarum miſerabilium perſonarum, & ſi quos repererint, Nobis aut Vicario Noſtro ſignificent, & referant, ut contra illos debita poſſit fieri prouiſio. Qui aũt negligentes fuerint reperti, pro qualitate negligentiæ punientur.

De modo adminiſtrandi bona Eccleſiaſtica C. 8.

Digitized by Google

QVum Eccleſiarum bona in dominio Dei ſint poſita, poſſeſſio uero eorum apud Eccleſiam, adminiſtratio autem apud Rectores, omnes clericos & ſacerdotes, & eccleſiaſticorũ bonorũ huiuſmodi adminiſtratores quoſcunq; Admonemus, & eis per hæc ſalubria ſtatuta Præcipimus & mandamus, ut de bonis Eccleſiarum bonam curam, & adminiſtrationem habeant, & ſtudeant, & inuigilent, ne uſurpentur. Caſu uero quo aliquo modo in libera adminiſtratione huiuſmodi, ꝑ quẽquam impediri eos contingat. Teneantur tales impedientes Nobis denuntiare ad hoc, ut poſſimus indẽnitati Eccleſiarũ, prout tenemur, opportune cõſulere, & ſi per eorũ negligẽtiã Eccleſiæ eorũ paſſæ fuerint dãnũ, pœnis iuris afficient, & aliæ pœnæ arbitrio Nr̃o eis imponẽtur.

¶ De reddendo cõputo adminiſtrationũ locorum piorũ ſingulis annis corã Nobis, ſeu aliis per Nos deputatis. C. 9.

QVum fabricis quaplurimarũ Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum Ciuitatis & Diocefis Noſtræ, Procuratores, ſeu Sindici ſimiliter ſocietatũ, & fratelleatũ, Maſſarii, Priores, aut alio quocũq; nomine nuncupati adminiſtratores, ad eorum nutum ſæpe redditus, & prouentus, atq; oblationes inde prouenientes inter ſe diſpenſent, uel etiã cum dictorum piorum locorum pecuniis, & rebus, abſq; Rectorum Eccleſiarum, & locorum eorumdem ſcitu, & conſenſu, propria interdum commoda quærant, ac mercationes, & contractus interdum uitioſos exerceant, dictas pecunias ad alios priuatos uſus conuertere non formidando, nec de per eos perceptis, collectis, imburſatis, & geſtis rationẽ reddere ſtudeant, dicta pia loca, & proprias animas defraudando, Iccirco ut eccleſiarum, & locorum prædictorum fructus prouentus, oblationes, & elemoſinæ iuxta pias fidelium uoluntates, & ſacrorum Canonũ diſpoſitionem rite, & recte, & laudabiliter diſpenſentur, præſenti conſtitutione ordinamus, atq; in uirtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excõis pœna. Mandamus, quatenus omnes prædicti dictorum locorum Gubernatores, quocunq; nomine cenſeantur, citra eorum priuata commoda fideliter omnia diſpenſent, cum ſcitu & participatione Archipræsbiteri, aut Rectoris, ſeu locumtenentis, & ſemper utilitatem eccleſiæ promoueant, & de ſingulis per eos leuatis collectis, diſtributis, actis, & factis, in ꝑſentia illorum, quos Nos ad id deputauerimus, ſingulis annis, temporibus conſuetis, fidele, & reale, computum reddant. Quod ſi Rectores Eccleſiarum earumdem hanc conſtitutionem ſeruare nõ fecerint, uel ſi ſeruare nolentes officio Noſtro non denuntiauerint, ſint ſuſpenſi ab officio, & beneficio ad beneplacitum Noſtrum.

¶ De Sindicis remanentibus debitoribus. C. 10.



Digitized by Google

PRedicto autem modo,& coram deputatis perſonis,ut præfertur, p Sindicos,aut Maſſarios computis adminiſtrationum ſuarum calculatis,ſi quis in his repertus fuerit debitor, totam debiti ſummam ſuo immediate ſucceſſori ſub pœna excõis ſaltem infra triduum ſoluere & realiter aſſignare teneatur,& nihilominus,quouſq; integram ſolutionem compleuerit, ab omni eiuſdem Eccleſiæ,uel loci pii, aut ſocietatis bonorum illius adminiſtratione,officio & beneficio ſit penitus inhabilis,pecunias autem,quæ ſupererunt,uolumus applicari per eos de cõſenſu ſemper Rectoris Eccleſiæ,uel in uſum reparationis Eccleſiæ, aut curam,ſeu elemoſynam pauperum,aut alios pios uſus,prout Nobis,attentis locorum & temporum qualitatibus,uiſum fuerit.

De relictis ad pias cauſas exequendis. C. 11.

QVum pium ſit ultimas teſtatorum uoluntates,quaſi perpetuas leges adimpleri & obſeruari,& nostro incumbat officio paſtorali, talibus ꝓuidere,& teſtamenta utroq; iure ſuadente defendere,& exequi propterea præcipimus & mandamus omnibus & ſingulis teſtamentorum executoribus,ſiue Laicis,ſiue Clericis,ut quaſcunq; teſtatorum diſpoſitiones ſibi commiſſas,& per eos ſemel acceptatas, ſine cunctatione, ſub excõicationis pœna exequantur in omnibus,ſcientes quoq; circa ꝓmiſſa aliquid non adimpleri,in uirtute ſanctæ obedientiæ ad id reuelãdum Hortamur,etiam ſi tale onus ſibi alias non incumbat.

De fideiCommiſſariis C. 12.

SAncimus præterea,& ordinamus,ut executores teſtamẽtorũ,& quarumlibet ultimarum uoluntatum, qui hactenus fuerint inſtituti, & qui de cætero inſtituentur,relicta ad cauſas pias,teneantur infra tempora deputata,ſeu alias a iure ſtatuta, quæ tempora a die mortis currant, dicta legata exequi In his autem,quorũ executio abſq; rationabili cauſa,& per Nos approbata hactenus protracta eſt,in omnibus ſeruari Mãdamus diſtinctionem illam contentã in edicto Noſtro materna lingua impreſſo,& iam in Ciuitate & Dioc.publicato,quod tam per prædicatores,quam curatos,& monaſteriorum Prælatos,& eorum ſubditos ad confeſſiones audiendas deputatos obſeruari, ſub pœnis & Cẽſuris in eo contentis Præcipimus,& hic etiam inter has noſtras Conſtitutiones repeteñ.curauimus,ut ex ea repetitione omnes promptiores reddãtur ad exequendum. quæ circa præmiſſorum legatorum executionem obſeruanda Mandauimus.

Edictum pro legatis piis.

QVum Reuerendiſs D.Epiſcopus. Veroñ. & legatus Apoſtolicus ad quem pro eius paſtorali officio,& utriuſq; iuris diſpoſitione, procurare ſpectat,ut piæ defunctorum uoluntates nimis prote

late.executioni debitæ demãdentur, continue uariis modis elaborauerit, ut legata ad pias cauſas huiuſmodi adimplerẽtur, nec adhuc optatum conſequi potuerit effectũ, decreuit ad remedia ſpiritualia conuolare, ea propter mandato eiuſdẽ Reuerendiſs. D. Epi omnes & ſinguli cuiuſcunq; gradus & conditionis exiſtant, qui ad aliquod legatum ad pias cauſas, ſimul uel diuiſim obligati ſunt, hortantur in domino, ac eiſdem nihilominus in uirtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excõmunicationis pœna præcipitur, quatenus in termino dierum triginta, quorũ eiſdem decem pro primo, decẽ pro ſecundo, & reliqui decem pro tertio ultimo & peremptorio termino aſſignãtur, poſtq̃ præſentes ad eorũ notitiam peruenerint, legata prædicta adimpleuiſſe, & de hoc eid. R. D. Epo, ſeu ad hoc deputatis ab eo, fidem feciſſe debeãt, quod ſi prædicta legata adimplendi ut præfertur facultatem non habuerint, compareãt ſaltem in dicto termino coram dicto R. D. Epo, aut ab eo deputatis, honeſtos & competẽtes terminos reportaturi prout eidem R. D. Epo uel deputatis ab eo, temporum & perſonarum qualitate bene penſata, expedire uiſum fuerit.

Si uero circa dictorum legatorum executionem dubitaretur, quum in caſu huiuſmodi in ſecuriorem partem interpretatio fieri debeat, prædicta legata, prout trãſactum tempus, perſonarũ qualitates & alias præſumptiones perſuadere uiſum fuerit, moderabũtur. Quo uero ad legata quæ a quadraginta annis antea adimpleri debebãt, ſi hi, ad quos ea adimpleri ſpectabat, de executione dubitauerint, non uult idem R. D. Eps præſentes ad eos extẽdi, ſed tales propriæ relinquit cõſcientiæ.

Et ne deinceps ad talia legata obligati, confeſſores ſeu potius ſeipſos, in præiudicium animarum ſuarum, & defunctorum detrimentum decipiant, propterea idem R. D. Eps ſub excõmunicationis latæ ſententiæ pœna, quibuſuis ſacerdotibus ſecularibus, & regularibus ordinis cuiuſcunq; etiam exemptis inhibet, ne aliquẽ ad aliquod legatũ ad pias cauſas obligatum abſoluant, niſi prius eidem R. D. Epo aut ab eo deputatis ſatisfecerit, ſeu de ſatisfaciẽdo idoneam præſtiterit cautionem, & nequis de præmiſſis ignorantiã prætendere ualeat, mandat D. Prioribus, Guardianis, & prælatis quorumcunq; monaſteriorum ciuitatis & Diœceſis Veronenſis ſeu eorum Vicariis, quod præſentes in eorũ cõuẽtibus intimaſſe & publicaſſe, & de publicatione huiuſmodi in termino dierum trium, poſtq̃ præſentes literæ eiſdem præſentatæ fuerint, in cancellaria noſtra retuliſſe debeant.

Patres inſuper prædicatores in eorũ ſermonibus præſentes publicabũt, eos oẽs q ad huiuſmod legata exequenda tenenť, quãto efficacioribus uerbis poterunt, & ab oĩpotenti Deo noſtro ſibi dabiť, exhortãdo.

Dat. In Epiſcopatu Veronæ. Die. III. Martii. 1540.

Digitized by Google

¶ De Notariis rogatis in præmiſſis C. 13.

VT autem præfata conſtitutio ſuum iſtum facilius conſequatur effe-ctum. Statuimus & Mandamus, ut omnes Notarii, & quicunque, qui de prædictis teſtamentis, & fideicommiſſis rogati fuerint Inſtrumenta conficere, in quibus relictum ſit aliquid ad pias cauſas, teneantur poſtquam teſtamenta ipſa, morte confirmata fuerint ſi in Ciuitate, Nobis uel Vicario Noſtro, ſi uero in Dioceſi fuerint, & ad ciuitatem uenire, uel mittere noluerint, Rectori Parochialis Eccleſiæ, ſub qua cõditum eſt teſtamentum dictorum legatorum exemplum exhibere infra tempus duorũ menſium, recepta competenti mercede, prout eam ſibi per Eccleſiam, ſeu locum, uel perſonam, cui relictum fuerit ſolui uolumus, parochialis etiam ſacerdos, ſi præſens fuerit ad prædicta, uel de his etiã noticiam habuerit, id Nobis ſignificare, & exempla ſibi, ut præfertur, cõſignanda, ad Nos ſtatim mittere curet.

¶ De libro talium relictorum ad pias cauſas tenendo. C. 14.

ET ut horum legatorum memoria facilius conſeruari poſſit, Statuimus & ordinamus, ut in Noſtra Curia Epiſcopali teneatur unus liber, in quo illa ſpecialiter deſcribantur per Notarium ad id deputatum, qui Notarius deſcribens debeat habere duos ſolidos pro ſcriptura & labore ſuo in reponẽdo memoriam dicti legati in præfato libro, quos duos ſolidos ſoluere teneantur ille uel illi, quibus, ſeu quorum Eccleſiis, uel locis legata huiuſmodi relicta ſunt, ſcribat etiam nomen Notarii, Teſtatoris, & legatarii, Diem, & Annum, & Teſtes.

¶ Quod oblationes pertineant ad principalem cuiuslibet Eccleſiæ Rectorem C. 15.

VT ſcandali & rixæ tollatur materia, Statuimus, & ordinamus omnes oblationes conſiſtentes in cera tam laborata, quam non laborata, frumento, Bladis, Pane, Vino, Oleo, & Caſeo, Pannis, laneis, lineis, Galletis, uel aliis quibuſcunque rebus, quæ quoquomodo fierent in qualibet parte Eccleſiæ. uel Cemeterii, aut eius pertinentiarum, ſpectare & pertinere ad Eccleſiam, & Rectorem eius, niſi priuilegio aut alio ſpeciali iure, alteri competere dignoſcantur.

## DE VARIIS PÆNIS TITVLO NONO.

¶ De poena ſimplicis fornicationis C. 1.

AD compeſcendas autem undique Clericorum immundicias Ordinamus, quod pro ſimplici fornicatione, de qua cõuictus fuerit aliquis Sa-

Digitized by Google

cerdos,in lib.xxv.pro prima uice condemnatur,& per menſem a celebratione Miſſarum ſit ſuſpenſus,quod ſi fæmina illa ſit, quam delinquens ſumptibus propriis extra domum habitationis ſuæ alebat,aut cum ea frequens carnale commercium habuiſſe conuictus ſit his caſibus delinquentem ipſum pœnæ quam contra concubinarios ſtatuimus ſubiacere uolumus.

¶ Pœna cõmiſcentis ſecũ Parochiana ſua. C. 2.

SAcerdotẽ autem illum, ſi quis tantæ temeritatis inuentus fueit,qui poſtpoſito Dei timore,ſe cum Parochiana ſua comiſcuerit,in.xxv. ducat.condẽnamus,eum perpetuo ab exercitio Curæ ſuſpẽdentes,poſtq̃ per ãnum in carceribus corpus ſuum ieiuniis,& abſtinẽtiis maceraturus permãſerit,& a Ciuitate,& Dioc.per decenniũ ſit exul.

¶ Pœna ſacerdotis abutentis filia ſpirituali,& reuelantis habita in confeſſione. C. 3.

ET cum ſimus homines,falli poſſumus,nec hominum corda ſcrutari ualemus,ne quod boni cauſa inſtitutum eſt,mali ſit fomes & origo,ſi quis eorum,qui iuxta aliam deſuper editam cõſtitutionẽ, per Nos tanq̃ boni,& idonei electi ſunt,ſpreto Dei honore, cum ea,cuius confeſſionem audiuit, quicq̃ inhoneſte,turpiter uel gerit, aut eius pudicitiam attentauerit,aut eam ad laſciuia & inhoneſta perpetranda ſuaſerit,ſi nõ deuentum eſt ad actum, temporanea pœna acriter punietur, ſi uero ad actum turpitudinis eſt deuentum,ac etiam qui peccatum in confeſſione auditum,ſigno,aut uerbo prodiderit,confeſſionisq; ſigillum fregerit,beneficiis,officiisq; eo ipſo ſuſpẽſum,priuatum,perpetuisq; addictum uinculis uolumus,& declaramus.

¶ Contra Adulteros. C. 4.

ADulterii crimine conuictum, in ducatos quinquaginta condemnamus,& ad ſtandum in carceribus, ad arbitrium noſtrum, & ſi ſemel conuictus,iterum conuincetur, eo ipſo beneficiis priuatus, atq; a Ciuitate,& Dioc.noſtra ad arbitrium noſtrũ ſit bãnitus.

¶ Item contra adulteros & Concubinarios & coniugatos,nõ cohabitantes ex propria temeritate. C. 5.

CVmq; in grauem animarum ſuarum, & Dei offenſam, & maximũ ſcãdalum plurimorum,quædam perſonæ,per Dioceſim noſtram reperiantur,quæ relicto legitimo thoro,non uerentur in una domo, in

Digitized by Google

adulterinis complexibus manifeſte cohabitare, cum nimis reprehenſibi-lis ſit, qui uxorem habet, & ad aliam mulierem accedit, qui uero ſolutus eſt, ſi continere nolit iuxta Apoſtoli conſilium nubat in domino, Mandamus oībus rectoribus, Plebanis noſtræ ciuitatis & Dioc. quatenus laicos utriusq; ſexus concubinarios & in adulterinis amplexibus in ſimul reſidere non uerentes, cuiuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, uel conditionis exiſtant, admoneant & requirant, q̄ niſi infra terminum nouem dierum quos pro tribus terminis, ac trina canonica monitione præmiſſa, eiſdē & eorum cuilibet præfigant, & aſſignent, concubinatum, et cōcubinas ipſas, et quaſcunq; fœminas de incontinentia ſuſpectas realiter, et cum effectu dimiſerint, ac ſe ab inuicem prorſus et omnino ſeparauerint, animo et intentione ſtabili de cætero ad uomitum non redeundi, excōmunicationis latæ ſententiæ pœnam eo ipſo incurrāt, a qua nullatenus ab aliquo præterq̄ a Nobis aut a Vicario noſtro abſolui poſſint, etiā præmiſſis omnibus et ſingulis adimpletis, elapſo dicto termino.

IDem quoq; obſeruari uolumus etiam contra illos, qui adulteros, et adulteras huiuſmodi in domibus ſuis ſcienter recipiunt, uel ſuſtinent ne illos ulterius foueant, aut in domibus, ſeu hoſpitiis ſuis retineant.

SImilis quoq; terminus aſſignatur omnibus, et ſingulis coniugatis utriusq; ſexus, qui ſibi ex propria temeritate mutuo cohabitare nolunt, et recuſant, et etiam hoſpitantibus illos ſcienter, ſeu domos ſuas locantibus illis, etiam ſi non conſtet, q̄ cum aliis fornicentur, uel adulterentur, niſi iuſta ſubſit cauſa, cur redire recuſent, ſiue illa ſubeſſet, a principio, ſiue poſtea inciderit, quam tamen infra eundem terminum allegare, et probare teneantur.

IPſi uero rectores Plebani, et Curati, qui ſupradictos monere omiſerint, grauiter pro noſtro arbitrio puniētur, Quibus etiam ſub ſimili commiatione diſtrictius iniungimus, ut eorundem rebellium nomina infra decem alios dies Nobis uel Vicario noſtro denūtient, ut cōtra eoſdem ad ulteriora, prout iuris fuerit, procedere ualeamus.

## ¶ Contra Inceſtuoſos C. 6.

EOs quos inſtigante diabolo, tam nephandum ſcelus admiſiſſe, cum Matre, ſorore, de quibus fere naturale fedus nihil permittit ſeui criminis ſuſpicari, aut filia ſpirituali ideſt quam baptizauerint uel in baptiſmo aut in confirmatione tenuerint, uel cuius confeſſionē audiuerint carnaliter rem habuiſſe conſtiterit, beneficiis, ſi quæ habuerint, eo ipſo, priuatos declaramus, atq; ad perpetuam pœnitentiam agendum, in uinculis coniiciendos. Pro aliis inceſtibus uſq; ad quartum gradum mulctam quinquaginta ducatorum indicimus. & carceris pœnam ad arbitrium noſtrum ſtatuimus.

¶ Contra

Digitized by Google

¶ Contra uiolatores Virginum & Viduarum. C. 7.

QVi autem Virgini, aut Viduæ alioqui honeſtæ, ſtuprum uiolenter intulerit, beneficiis priuetur, & uirginem, cui uim intulit, dotare cogatur, & ſi beneficiis caret, amplius in ducatis quinquaginta mulctetur, pellaturq; utroq; caſu a Ciuitate, & Dioceſi Veronen. per decennium, poſtq̃ in carceribus ad arbitrium Noſtrum detentus fuerit, ſi uero Virginem uolentem uitiauerit ad tempus ad arbitrium Noſtrum limitandum, a diuinis ſuſpenſus exiſtat & in ducatis uigintiquinq; condemnetur, ſi uero nuptæ uiolentiam intulerit, eo ipſo beneficiis priuatum, & uinculis perpetuo eum alligari decernimus.

¶ Contra accedentes ad Monaſteria monialium & ſacrilegium committentes. C. 8.

SI quis Laycus p̃ter eos qui p̃ cõſtitutiones moniali ũ alias per Nos editas accedere p̃mittant ad aliquod monaſteriũ ciuitatis & Dioc. Veronen. ſine Noſtra uel Vicarii Noſtri licentia acceſſerit, perturbauerit, ingreſſus fuerit, uitiauerit, uel eduxerit aliquam ex ipſis monialibus uel ſororibus, ſententiam excõis incurrant ultra dictam excõis ſententiã penis contra tales per Decreta. Illuſtriſſ. Dñi Veneti promulgatis ſubiacebunt. Siquis uero Clericus ſæcularis uel cuiuſuis ordinis regularis ad aliquod ex prædictis Monaſteriis etiam ad parlatoria etiam conſanguinitatis ſeu quouis alio prætextu uel occaſione ſe contulerit ſine licentia huiuſmodi, incidet in pœnam excõis late ſententiæ, & ſtandi in carcere Epiſcopatus Veronæ p̃ ſemeſtre continuum ad pœnitentiã peragẽdam iuxta arbitrium noſtrum. Si uero occurrerit (quod abſit) quod aliquis cui nõ erit permiſſum, ſepta uel clauſtra alicuius ex monaſteriis huiuſmodi ingrederetur, tam in dictam excõis q̃ carceris per biẽnium pœnas incurrat, quod ſiquis de nocte in aliquo monaſterio reperietur, uel cõpertũ fuerit ipſum in aliquo monaſterio nocturno tẽpore fuiſſe, in dicte excõicationis & carceris per quadriennium pœnas incurrat, Si uero contigerit (quod Deus auertat) ut talis ingreſſus profeſſionis ſue immemor & ſalutis, aliquam de dicto monaſterio carnaliter cognouerit, uel libidinis cauſa aut per alium abductam ad hunc finem retinuerit, ultra dictã excõicationem a ſuo quoq; remotus officio carceri perpetuo mancipetur tantum facinus lamentatione continua defleturus, alimentandus ad arbitrium noſtrum uel noſtri Vicarii, qui uero ex aliqua alia cauſa auſi fuerint aliquam monialem uel ſororem a ſuo monaſterio abducere, uel egreſſam ſine noſtra licentia recipere, in dicte excõis late ſententiæ & quadriennalis carcerationis pœnas incidãt ſi aũt ii q̃ dictas pœnas uel aliquam earũ incurrerint capi nequiuerint, ex nũc p̃ut ex tũc & e cõ-



Digitized by Google

uerſo cenſeantur banniti a Ciuitate & Dioceſi noſtris prædictis perpetuo uel per tempus duplicatum carcerationis quam ſuſtinere debuiſſent reſpectiue,etiam in euentum in quem bannum frangerent, & capi poſſent,dies ſuos perficiant in carceribus pro ſuis continue lugendis exceſſibus,alimentádi ut ſupra,uolumus aút quod beneficiati excepto primo in omnibus aliis ſupradictis caſibus delinquentes ultra pœnas pdictas, beneficiis omnibus eccleſiaſticis quæ obtinebunt,ſint eo ipſo priuati.

## Contra Lenones. C. 9

ODibilem Clericorum Lenonum cauſā ſimul,& talium nephandū lucrum perſequentes.Statuimus,q Clericus.qui Lenocinium exercuiſſe, aut domum ſuam ad id præbuiſſe conuictus fuerit,ut in ea adulterium,Stuprūue fieret,aut de adulterio tractaretur, & ſi eo loco nihil admiſſum fuerit,ad ſoluendum uigintiquinq ducat.condemnetur, & ad ſtandum in carceribus ad arbitrium Noſtrum.

## Contra Clericos Buffones. C. 10

INhibemus preterea ne Clerici & Religioſi in ſæna ueluti Hiſtriones, Mimi,Buffones quacunq occaſione uel cauſa prodeant, non comedias agant, non ſpectaculum faciant corporis ſui in publico priuatoue loco,neq ubi talia exercenda ſunt ſeu ut exerceantur, Aulea,lignamina, tabulatas ſcænas aut ſimilia,illorum ue ornamenta & inſtrumenta apparare aut ue apparentur,curare audeant,inhibitioni autem noſtræ cōtrauenientes huiuſmodi quotiens aliquid contrafecerunt,totiens carceris pœnam incurriſſe ſciant.

## Contra Luſores C. 11

CÆterum cum de omni uerbo otioſo ac de minimo quoq temporis momēto in die diſtricti examinis rationem reddere teneamur, prohibemus Clericos omnes & eccleſiaſticas quaſcunq perſonas,ne Taxillorum,Cartarum,Alearum,aliis ue illicitis ludis ſe immiſceant, neq etiam pila in publico ludant, & præſertim cum laicis, neq ludentium fautores,ſpectatores,aut teſtes exiſtant,quę omnia cum omnibus ſacerdotibus ſint in decora,& ordini clericali multum detrahentia,tum illis præcipue,quibus eccleſiaſtica dignitas,aut animarum cura eſt commiſſa,qui uero contrafecerit,grauem pro arbitrio noſtro immponendam pœnam non euitabit.

## Contra eos qui incedunt perſonati C. 12

Digitized by Google

CVm in omnes acerbe ſit animaduertendum, qui perſonati baccantes per Ciuitatem, effigiem Dei obumbrant, ut maiori poſtea licẽtia, turpiſſima quæq; attentare non erubeſcát, in illos uero acerbiſſime, qui clericalis obliti decoris, ſic perſonati, muliebribus choreis, pompiſq; interſunt, quiq; ludis illicitis operam dant, & per urbem, & uicos, muſica inſtrumenta pulſare, & cantare preſumunt, ne igitur poſtac talia per eccleſiaſticas perſonas, ſiue religioſæ, ſiue ſæculares ſint in graue animarum ſuarum periculum, eccleſiaſticæ dignitatis dedecus & ignominiá, attententur, uolumus irremiſſibiliter quoſcunq; & quacunq; dignitate fulgentes, ſi perſonatos & tráſueſtitos ſeu maſcaratos reperiri, aut quod ita inceſſerint, probari cõtigerit, per menſem in carcere permanere, & per quoſcunq; officiales ad curiam tantum Epiſcopatus ducẽdos, capi poſſe, & omnia illa ueſtimenta & ornamenta, cum quibus inuenti fuerint, ipſo facto amiſſa eſſe uolentes, etiam comprehẽſoribus, laboris ſui mercedem condignam, de bonis ipſius detenti, duplicata carceris pœna, eis qui ſoluendo non ſunt, exhiberi, & ſi ſacerdotes fuerint, per tres ſequentes menſes, poſtquam e carcere egreſſi fuerint a diuinis ſint ſuſpenſi.

¶ Contra accomodantes domos ad uſus illicitos. C. 13.

EOs quoq; qui domos ſuas ad iſtud uel etiam ad tripudia commodauerint, ſeu locauerint, pœna quinq; ducatorum in fabricá cathedralis Noſtræ Eccleſiæ conuertendorum mulctari uolumus, eadem pœna & grauiori etiam, ſi Nobis aut Vicario Noſtro uiſum fuerit, teneri decernimus, etiam qui aliis religioſos habitus, & eccleſiaſtica paramenta, aut uaſa, aut etiam proprios habitus commodauerint, quibus amicti per urbem perſonati incedunt, uel alias ſecularium hominum pompas honorent.

¶ Contra abutentes habitu religioſorum. C. 14.

QVumq; ad Epi curã pertineat prouidere, neque in chriſtianę religionis ludibrium tendunt, fiant omnino, & ciuiles leges grauiſſimas etiam pœnas ſimilibus imponant, omnes eos laicos, qui perſonati publice, aut priuatim religioſorũ, ſeu religioſarum, necnon Epiſcoporum aliorũue Prælatorũ, ſiue uerũ, ſiue ſimulatũ habitũ detulerint, ipſo facto excommunicatos eſſe decernimus, abſolutionem Nobis, aut Vicario Noſtro reſeruantes.

¶ Contra eos, qui in ludicris & obſcenis abutuntur ſacræ ſcripturæ teſtimoniis. C. 15.

ET quoniam non minorem Deo, eiuſq; orthodoxæ religioni contumeliam affert, perdita non nullorum audatia, qui ex ſacramẽtis, re-



Digitized by Google

buſq; fidei, iocorum ac riſus argumenta quærunt. Nõnulli enim qui tur pes de amore, aliis ue ludicris, ſermones in cõmeſſationibus, tripudiiſq; & in platheis habent, nõ expaueſcunt diuinæ legis teſtimonia adducere, Verba Saluatoris noſtri, & ſcripturæ ſacræ pro temeritate ſua ad riſum trahendo, atq; inuertendo, aliaq; ſigna faciendo, more etiam interdum eorum, qui in eccleſiis uerbũ Dei populo enunciant. Idcirco nos de chri ſtianæ religionis honore ſolliciti, omnes homines qui in futurum talia dixerint, aut aliter quomodocunq; iocoſis, ridiculiſq;, ſacramentorum aut diuinæ legis nomina miſcuerint, ſeu talia, uel id genus alia dictauerint, ſcripſerint, impreſſerint, aut dictata & impreſſa uendiderint, excõmunicationis pœnam ipſo facto incurrere uolumus.

## ¶ Contra non dicentes officium. C. 16.

MEminerit autem unuſquiſq;, ordinis aut beneficii ratione, ad dicendum officium aſtrictus, ſi inſtigante diabolo, illud quotidie, ut tenetur, dicere omiſerit, ſe furem, latronem, ſacrilegum, & bonorum eccleſiaſticorum occupatorem eſſe, fructus enim beneficiorum, ſi quæ poſſideat, non facit ſuos, & quum ad reſtitutionem ipſorum quilibet beneficiatus, non dicens officium teneatur. Statuimus, q; ſi quis in ſacris conſtitutus & non beneficiatus, poſt duos menſes, in nõ ſacris uero, ſed beneficiatus, aut in ſacris & beneficium cum cura ſeu ſine cura habens, poſt ſex a publicatione præſentium conſtitutionum, legitimo impedimento ceſſante, diuinum non dixerit officium, quod facile conſtabit, ſi examinatus ſuper dicendo officium, & ſuper Capitulis, reſponſoriis, Antiphonis, Hymnis, Lectionibus, Orationibus, & quomodo duplex officiũ celebretur, & quomodo ſimplex, quomodo ſemiduplex, aut de quo ſancto in illo die officium fiat, reſpondere neſciuerit, ita ut ueriſimiliter coniecturari poſſit, eum officium ſuum non eſſe ſolitum dicere. Si beneficiatus ſit, eo ipſo a perceptione fructuum omnium beneficiorum ſuorum ſuſpenſus ſit, quos tanq̃ iniuſte perceptos, in fabricas huiuſmodi beneficiorum, uel pauperum clericorum erogare teneatur, & tam diu ſuſpenſus maneat, quam diu in ea ignorantia, & diuinum recitandi officiũ negligentia contumaciter permanſerit, ſi per annũ indurato corde poſt præfatos ſex menſes perſtiterit, præſentis conſtitutionis tenore, quã uim monitionis ſibi iuxta lateranẽ. Concilii decretum faciendæ, habere uolumus, ſit ipſo iure beneficiis, quæ poſſidet, priuatus, ſi uero nõ fuerit beneficiatus, pœnam carceris ipſofacto elapſis duobus menſibus incurrat, & alias etiam pœnas arbitrio noſtro infligendas. Deo tamen ultra præmiſſa de dicta omiſſione redditurus rationem, & ueh illis, quos ſemper malus exitus manet, ut experiẽtia docemur, nullus aũt unquã, clericum officium ſuum dicentem, a Deo derelictum uidit.

Digitized by Google

OVam peruerſum ſit hominum genus, qui ſuaui iugo Religionis ſuæ, Deiq; timore poſpoſito reſpicientes retro. Apoſthatæ facti ſunt, facile ex uerbis beati Auguſtini elici pōt, quū dicat ſimpliciter fateor charitati uřæ corā dño Deo nřo, qui eſt teſtis mihi, ſup aīam meā, ex quo deo ſeruire cępi, qm̃ ſicut difficile ſum expertus meliores, quam qui in mona ſterio pfecerunt, ita nō ſum deteriores expertus, quā qui in Monaſterio defecerūt. Igitur & Nos ut Dioce. Nřam a tali cōtagioſo morbo liberatā prout iā hactenus Deo dante aſſecuti ſumus, de cætero manuteneamus, Monemus oēs, & ſingulos eccleſiarū beneficiorū, uel officiorū quorūcunq; Rectores, Comendatarios, eorū locatenētes, & ſubſtitutos, eiſq; & eorum cuilibet, in uirtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna uigintiquinq; ducat. auri Præcipimus, quatenus in termino, dierū quin decim, a die publicationis harum noſtrarum conſtitutionū, omnes & ſingulos religioſos apoſthatas, extra ordinem & religionem propriā uiuentes, uagabundos, ordinis cuiuſcunq;, ac etiam ſæculares, ut prædictum eſt, regulares forenſes incognitos, & qui per Nos, aut Vicarium Noſtrū approbati non fuerint, ab eorum eccleſiis, beneficiis, & officiis eccleſiaſticis omnino licentiare, & expellere, nec eos, uel alios quoſcūq; deinceps ad miſſas, diuina officia, uel eccleſiaſtica ſacramenta, aut animarum curam celebrandum, uel exercendumquocunq; modo admittere præſumant, etiam ſub prætextu habilitationis & licentiæ quorumcunq; ſuperiorum ſuorum

BReue dans R. D. Epiſcopum pro adiuncto quibuſcunq; Iudicibus ſeu executoribus a Se. Ap. ſeu ſummo penitentiario, ſeu camerario obtentis per diuerſos diuerſorum etiam mendicantium & aliorū ordinum fratres & profeſſores, ac moniales & ſorores exeuntes ex domibus & Monaſteriis in quibus profeſſiones emiſerunt.

A Tergo

V. F. Ioanni Mattheo Epiſcopo Veronēñ.

Intus

PAVLVS. PAPA. III.

